6
17–D
31

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 D
13

ibliotheca
Coll. Rom.
et. Jesu
6-17. D. 31

73.22
73
F
98
78
3
54

A 24

Digitized by Google

COELESTINI
GVICCIARDINI
MONACHI COELESTINI

MERCVRIVS CAMPANVS

Præcipua Campaniæ Felicis loca indicans, & perluſtrans.

Biblioth. de N. Coll. Rom Soc Jesu

NEAPOLI,

Apud Nouellum de Bonis Typographum Atchiep. 1667.

Digitized by Google

VIRGILIO VALLE

VICENTINO

EQVITI

IEROSOLYMITANO,

Et Regni Neapolitani Equitatus Supremo Locumtenenti.

COELESTINVS GVICCIARDINVS F. P.

IMpigro peragrantium ductori, fido aduenarũ comiti: volitanti inquam Mercurio iure quodam dignum debetur hoſpitium. Ne tamen ei, vt Ioui quondam peragranti, inſidioſa hoſpitalitas ſit pertimeſcẽ-

da, tua obueniunt tecta, tua ſpondet humanitas : *generoſiſſime Virgili*. Ab itinere feſſus, illa ſubire haud profectò meus detrectabit Mercurius, cùm, ſi peregrinationis, aut eloquentiæ conferendæ fuerint rationes, te vnicè ad vtrumque paratũ inueniet. Et quidem, quis te in itineribus exercitatior, in ſermonibus promptior, in conſultationibus perſpicatior? Teſtes erunt Melita, Belgium, Hiſpania, Germania, Gallia, quæ toties eàdem ſub ſolis volutatione, te nunc aduentantẽ, nunc recedentem ſuſpexere.

re.

re. Nec quia Martis inter ſtrepitus te obuolutū quinque per luſtra diſtinuerit Belgium, inde tamen à latere tuo eſt diuulſa Minerua, vel receſſit Mercurius. Innumera ſunt, quæ dexteritate, & facundia perfeciſti negotia, vt meritò, nec ſemel, nec vnus Auſtriorum Principum tibi (etſi homini extero) ſummam aperuerit arcanorum. Te Belgij Moderatores, Te Amalphitanus Dux Piccolomineus, Te præcipui Hiſpaniarum Magnates, tanti ſemper fecere, & faciunt, vt quà cōtubernio, quà neceſſitudi-

næ, quantum in armis,quã-
tum in fide,quantum in per-
ſpicacia, ipſis quandoque
indigenis antèires,oſtende-
rint. Quid mirum igitur,ſi
Hiſpaniarum Monarcha,ra-
riori fiduciæ teſtimonio,Te
nulla cum Hiſpanis ſubie-
ctione obſtrictũ, Regni hu-
ius Equitatui præfecerit
vniuerſo? Sed hæc ſint,
quæ Regem citrà fabulas
Maximum, & ſupra captum
munificentiſſimum ſic erga
te beneficum reddiderint;
generoſitas ſanè illa, quã
animo (liberè, ingenuèque
dicam) verè militari, cun-
ctos allicis,cunctos excipis,
ſi-

ſicuti Te tãti Regis largitã-
te oſtendit dignum, ſic vt
meus ad te confidentiùs di-
uertat Mercurius ſuadet, ni
veriùs impellit. Vale.

LE-

LECTOR
HOSPES.

ITer expeditè facientibus meus adeſt Mercurius: hinc Campaniam volitando perluſtrat, non reptando metitur. Priſca æquè, ac recentia huius Prouinciæ confinia adhuc incomperta. Alia Plinius ſtatuit, alia Strabo agnouit, alia denique Andegauenſes, Aragonenſes, ac Hiſpani impoſuere. Rigidum itaque deponant ſupercilium acuratiores Geographi, cùm inter Lyris, & Sarni oſtia me concluſiſſe Campaniam præſenſerint. Campaniam perluſtro

ſtro

ſtro eo quo poſſum modo, & illuc tantùm deflecto, vbi pabulum inuenire poſſit curioſitas. Confinia prout libuerit extendat, aut contrahat quiſq; Ad vtrumque impunè præſtandum, non vnus ſubſidiarius auctor adſtabit. Non reptat meus Mercurius, vt ei vacet à ſepulchri requiete priſcos euocare ſcriptores, vel vnumquemque obuiũ lapidem ita rigido ſiſtere examini, vt à quonam ſit locatus, & quis eum è loco diſiecerit extorqueat. Hoc abundè ab alijs factitatum. Quod me angit, & torquet, eſt inopinatus caſus, qui ad meum Mercurium typis demandandũ ſollicitauit, quo euenit, vt ali-

cubi incultam eloquutionem ſis obſeruaturus. Non etenim ad limam ventum eſt; ſed omnia, eo quo in cartulis adnotaram modo, feſtinè admodum agglomeraui. His acceſſit ægra corporis valetudo, quæ & caſtigationem prohibuit, & Typographo inſiſtere haud permiſit. Menda itaque tam verborum, quam interpunctionum, aut benignus patere, aut prudens corrigito. Vale.

MER-

MERCVRIVS
CAMPANVS
AVCTORE

REu. P. D. Cœleſtino Guicciardini Ordinis Cœleſtinorum. In Congregatione habita coram Eminentiſs. D. Cardinali Philamarino Archiepiſcopo Neapolitano ſub die 7. Octobris 1666 fuit dictum qu. R P. Acerbus Societatis Ieſu reuideat, & inſcriptis referat eid. Congregationi.

Paulus Garbinati Vic. Gen.

Canon. D Matthæus Renzi S.T.D.
& S Off Conſul.

ERuditum libellum, cuius titulus Mercurius Campanus ab A R P D. Cęleſtino Guicciardino Ordinis Cœleſtinorum conſcriptum, ſedulò recognoui, nihilque reperi quod fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduerſetur, ideòque in lucem edi poſſe cenſetur.

Franciſcus Acerbus Soc Ieſu.

Die 3. Ianuarij 1667. Neap. extra Congreg. fuit mandatum, quod ſtante Relatione ſupradicti Reuiſoris, Imprimatur.

Paulus Garbinati Vic. Gen.

Can. D. Matthæus Renzi S.T.D. & S Off Conſ.

IL-

ILLSTRISs. ET ECCELLENTISS. SIG.

NOuello de Bonis Stampatore di libri ſupplicando fa intendere à V. Eccellenza, come deſidera ſtampare vn libro del P. D. Celeſtino Guicciardini Monaco Celeſtino, intitolato Mercurius Campanus; per tanto ſupplica l'Eccellenza Sua reſti ſeruita ordinare gli ſiano concedute le ſolite Regie licenze &c. Quam Deus &c.

Reuerendus Pater Carolus Florillus S.I. videat, & in ſcriptis referat.

Galeota Reg. Carillus Reg. Ortiz Cortez Reg.

Prouiſum per S.E. Neap die 17. Nou. 1666.
Villanus.

ECCELLENTISSIME DOMINE.

NIl Regiæ iuriſdictioni, politico nil adimit regimini Campanus hic Mercurius, ſuos nullatenus à fide abducens, fidus adeò exterorum Dux: difficili prorſus felix auſo, dum Campaniam non modo felicem, ſed facilem hoſpitibus præbet: Authorem porrò è Guicciard norum familia R. P. D. Cœleſtinum Cœleſtinum, ſuo dignum Mercurio, ſuo Mercurium prælo arbitror. Datum in Collegio S. Franciſci Xauerij die 5. Decembris 1666.

Carolus Florillus Soc. Ieſu.

Viſa retroſcripta Relatione, Imprimatur.

Galeota Reg. Carillo Reg. Ortiz Cortes Reg.

Prouiſum per S.E. Neap. die 17. Decembris 1666
Anaſtaſius.

Curioſo per Italiam Viatori.

TVæ compatiens conditioni, amice hoſpes, qui in locis nobiliſſime Prouinciæ perluſtrandis, aut ineptos ductores, aut malè faſtos libellos ſortiris vt plurimùm, Mercurij alas ad tempus aſſumpſi, vt per amœnam regionem itinere amœniori te veluti per manum traducerem. Quid quæſo tam ab vrbanitate alienū, quàm tædioſiſſimis diſceptationibus de vno eodemq; loco ad horas feſtinãtem remorari? Quid properanti, nec emere volenti refert, nùm antiquæ Capuæ pomœrium Vulturni ripas attigerit, vel ab ijſdem aliquantiſper receſſerit? Clara, & aperta hoſpitibus ſunt apponenda, ne mens à difficultatum inuolucro detenta, oculos à ſpatiandi delectatio-

ne retardet . Hoc pro viribus præſtare conabor , ſeligens tùm veteris, tùm nouæ geographiæ paralella , quæ ex Liuio Strabone, Floro,Plinio,alijſq;antiquis, noſtri æui ſcriptores ad nauſeam vſq;protraxere. Incedentem per amœnam , & ferè ſemper vernantem regionem , haud grauaberis puto , ſi poeticis interdum floſculis te remorabor; hoc vnũ enixè flagitans, ne carmina legas, ni priùs ad ipſa præcedentes proſas perlegeris ; ex earũ enim viſceribus, vt ità loquar , proſiliunt carmina . Quàm compendioſus , tam fidus ero ductor, & per præcipua tantùm loca te comitabor. Quod primùm in oculos veniet libero ſpiritu ſequar, & ſi non potero ex fumo dare lucem , enitar ſaltem , vt è ſublapſo alicuius ædificij veſtigio breuis fulgor erumpat. Vale.

COELESTINI GVICCIARDINI

CAMPANIÆ FELICIS.

PARS MEDITERRANEA.

CAmpaniam, naturæ munere, omnium, quæ in Orbe ſunt regionum feliciſſimam, deſcribere aggredior. Cœli clementiam, ſoli vbertatem, cæteraſq; dotes, quibus felicis nomen promeruit, nec tempus, nec repetitæ barbarorum irruptiones inuertère; & ſæculorum ſub pondere licet fatiſcant ea, quæ artis fuere miracula, ingentes tamen ruinæ, & immania rudera vtique è longinquo ad illam perluſtrandam inuitant. Nullus etenim in ea locus eſt, qui veteri aliquo non turgeat faſtu, nullumq; vt de Troia cecinit ille, *eſt ſine no-*

ne retardet . Hoc pro viribus præſtare conabor , ſeligens tùm veteris, tùm nouæ geographiæ paralella , quæ ex Liuio Strabone, Floro, Plinio, alijſq; antiquis, noſtri æui ſcriptores ad nauſeam vſq; protraxere. Incedentem per amœnam, & ferè ſemper vernantem regionem , haud grauaberis puto , ſi poeticis interdum floſculis te remorabor; hoc vnū enixè flagitans, ne carmina legas, ni priùs ad ipſa præcedentes proſas perlegeris ; ex earū enim viſceribus, vt ità loquar , proſiliunt carmina . Quàm compendioſus , tam fidus ero ductor, & per præcipua tantùm loca te comitabor. Quod primùm in oculos veniet libero ſpiritu ſequar, & ſi non potero ex fumo dare lucem , enitar ſaltem , vt è ſublapſo alicuius ædificij veſtigio breuis fulgor erumpat. Vale.

COE-

COELESTINI GVICCIARDINI

CAMPANIÆ FELICIS.

PARS MEDITERRANEA.

CAmpaniam, naturæ munere, omnium, quæ in Orbe ſunt regionum feliciſſimam, deſcribere aggredior. Cœli clementiam, ſoli vbertatem, cæteraſq; dotes, quibus felicis nomen promeruit, nec tempus, nec repetitæ barbarorum irruptiones inuertère; & ſæculorum ſub pondere licet fatiſcant ea, quæ artis fuere miracula, ingentes tamen ruinæ, & immania rudera vtique è longinquo ad illam perluſtrandam inuitant. Nullus etenim in ea locus eſt, qui veteri aliquo non turgeat faſtu, nullumq; vt de Troia cecinit ille, *eſt ſine no-*

mine ſaxum. Quin montes ipſi, (terræ vt plurimùm pondera inutilia) ne in regione feraciſſima deſides viderentur, & infœcundi, innatam non ſemel immobilitatem excuſsère, atq; ignitis eruptionibus, quidquid terroris intulerant, auctiori inde ſegete rependerunt. Pro libito itàque erumpat Veſeuus, nobilior ſemper, atq; inter cinereos, fumeoſque globos illuſtrior noſtra reuireſcet Campania: illa inquam Campania, quæ orbis dominis auocatis ab Vrbe, bellicos illorum labores demulcebat, & armorum ſtrepitus otio placidiſſimo ſubmouebat; Romæ ſiquidem Martis erant omnia; hìc Cereris, Bacchi, Nuptuni, Veneriſq; iucundiora proferebantur certamina. Huius opportunitate, ipſa rerum domina, famulæ inſultabat Africæ, & regna vtriuſq; ſolis calcabat. Hæc Marios, hæc Syllas, hæc Cæſares ſuis

ſuis exarmauit delicijs, ac ſi victoriarum præmiũ forent Campaniæ felicis litora,& in hoc tractu vnius villulæ adamatus receſſus. Hæc furentem Annibalem ſuis attriuit illecebris, & ſola Romani imperij remorata eſt caſum. In ea cunctator Fabius, in ea impatiens Marcellus nunc mora, nunc irruptionibus Carthaginienſium calliditatem aut fregerunt, aut eluſerunt. Verùm ex hiſtoriarũ floſculis præclariſſima in ea geſta excerpat hoſpes,ſatis in limine operis laudibus illius concinnandis detentus.

A nomine itaque exordiar, quod à Campano agro, aut à Campanis Capuam incolentibus, illi obueniſſe Peregrinus contendit. Quemadmodum de Campaniæ,ſic & de Terræ laboris, quod nunc vulgariter obtinet,nomine,variæ circumferuntur ſententiæ. A campis Lebori-

nis, ſiue Leborijs, quondam Capuæ ſuburbanis, reor ego ſic appellatam. Non illi ſemper eadem confinia, & limites: quandoq; etenim Picentinos, Samnites, & Hirpinos complexa eſt. Nunc Lyris, & Sarnus fluuij ab oriente in occaſum, & è contra illam coercent. Septentrionalem oram, continuata Tifatæ,& Caudinorum montium iuga obtendunt; meridionalem verò plagam omni ex parte Tyrrhenum mare præterluit. Longitudo ad ſeptuaginta, latitudo ad viginti octo milliaria, quà latiùs patet, extenditur. Anguſtam porrò iudicabis, & vix tot, tantarumq; laudum,quibus confertim Scriptores illam exornant, capacem; attamen fertilitas ſoli, clementia cœli, & incolarum frequentia, vaſtiſſimis prouincijs exæquandam proponunt. Stet pro cunctis vnius Lucij Flori, de tunc florente Campania,
flo-

floridum æquè, ac verax encomium. *Omnium non modò Italiæ, ſed toto terrarum Orbe pulcherrima Campania plaga eſt. Nihil mollius Cælo; denique bis floribus vernat; nihil vberius ſolo, ideò Liberi, Cererisque certamen dicitur, &c.* Eadem ex Plinio, Virgilio, & alijs non vno in loco repetita leguntur. Encomijs ſupremam manum impoſuit Cicero, dum vocat agrum Campanum. *Orbis terræ pulcherrimum, caput patrimonij publici, pulcherrima Populi Romani poſſeſſio, pacis ornamentum, ſubſidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, ſolatium annonæ, & qui ſolus Italico bello, amiſſis cæteris vectigalibus, maximos fructibus exercitus aluerit.* Et tandem ſicut omnium ferè poſtremus, ſic ante dicta in vnum perſtringens, *Italiæ Paradiſum* Paulus Merula appellauit.

Maiori ex parte planitie gaudet, quam è meditullio actis in

gyrum luminibus, in modum, theatri à mõtibus obſerari comperies. Recta, & ampla via à Turri, vt vocant, Francoliſij per Capuam, & Auerſam Neapolim vſque interſecatur. Innumeris propemodùm pagis eſt referta. Multi in ea Epiſcopatus, paucæ tamen Vrbes, ſi à frequentia populi non ab infularum dignitate illas conſtitui velis: quem tamen defectum ipſa populo refertiſſima Neapolis penè ad miraculũ ſupplet. Populeis vndequaq; eſt conſita arboribus, miro ordine hinc inde locatis, quibus luxuriantes vites innituntur. Vinum ſi excipias Vulturnum, vix aliũ reperies fluuium; Clanius etenim, ſicuti Virgilij temporibus, etiamnum ſtagnat, *nec eſt æquus Acerris*. Sebethus itidem, poeticis potius decoratur fabulis, quàm quòd aquarum copia ſuorum vatum, & nimpharum ſedare valeat ſitim. Adeò tamen vini,

ni, tritici, olei, cæterarumq; frugum ferax eſt, vt meritò Amaltheæ cornu pro emblemate geſtet, & aliquando ad populum Romanum perorauerit Cicero. *Aſia multos annos fructum Mitridatico bello non tulit. Hiſpaniarum vectigal temporibus Sertorianis nullum fuit. Siciliæ bello, fugitiuorum Marcus Attilius etiam mutuum frumentum dedit; at ex hoc vectigali (agri ſcilicet Campani) nunquam malus nuntius auditus eſt. Cætera vectigalia belli facultatibus ſubſtentantur, hoc neque bellis infeſtum. neque fructibus varium, nec cœlo, ac loco calamitoſum eſſe ſolet*. Quod facilè ex ſoli natura contingit; vt namq; ſcribit Plinius: *Terra eius puluerea ſumma, inferior bibula, & pumicis vice fiſtulans; montium quoq; culpa cedit in bonum. Crebros enim imbres percollat, atq; tranſmittit, nec dilui, aut madere voluit propter facilitatem culturæ. Eadem acceptum nullis fontibus reddit. ſed temperans, & cõ-*

coquens intra ſe vice ſucci continet.

Sed iam ad Lyris ripas hoſpiti aduenienti occurro, vbi, ſoluto antequam traijciat naulo, illum peramanter excipio. Auorum nostrorum memoria Lyris ripas pertinaci plurium menſium ſtatione hinc inde caſtrametati Hiſpani, & Galli, nobilitarunt. Gallos tamen ſua patientia, ac militari induſtria abire coegit Magnus ille Conſaluus Corduba Hiſpani exercitus præſtantiſſimus ductor. Rem, ſicut & totius Neapolitani belli ſeriem à Frãciſco Guicciardino expetat, qui velit. Interim, hìc vbi fluuius lentè incedit, & ob regurgitantes fluctus pacificè admodum ſe in mare exonerat, præclariſſimam victoriam veluti nationis omnium patientiſſimæ fructum metricè perpendamus.

Inde olim Gallus plantas, hinc fixit Iberus,
Ambiguus vinci an vincere vterq; diu.
Ambiguus Mars ipſe diu, bellumq; pependit,

Vr-

Vrgere & rapidas ſubſtitit amnis aquas.
Cur ergo Hiſpano, Galloq; morantibus æquè
Hic victus tandem, victor at ille redit?
Inceſſu lento hic flumen feſtinat in æquor,
Et tacitas preſſo murmure voluit aquas.
Diſſimilis forſan fluuio quia Gallus, in ipſo
Vincitur, at ſimilis victor Iberus abit.

Tranſuecto itaq; amne, ampla in modum pyramidis ad decem P.M. procurrens ſe ſe offert planities, cui cuſpidem Lyris, baſim Maſſicus, latera Aruncorum montes, & litus maris efformant. Verùm, quæ de regni poſſeſſione inter Gallos, & Hiſpanos, eadem inter Scriptores de vero Appiæ viæ tramite ad Lyris ripas oritur dimicatio. Cum Peregrino reor ego per litus maris Sinueſſam vſq; procurriſſe, & dein per campum Stellatem deductam, Caſilinum; nunc Capuam, perueniſſe. Eo in loco vbi Aruncorum montes Maſſico iunguntur, Sueſſa adeſt Pometia, quam conſultiùs à longè obſeruabis, ni ad tumulum Au-

guſtini Niphi philoſophi celeberrimi inuiſendum pietas te ſollicitet. Mox inter fauces Maſſici montis aderis, vbi antiquæ viæ ſicilibus conſtratæ non vno in loco fragmina occurrēt. Fuerit ne Appia, an alia, crede quod voles. In meditullio prædictarū faucium, Sanctæ Agathæ, & Caſcani ſtationariæ tabernæ adsūt; num ad viatorum ſolamen, an veriùs ad eorum patientiam pertentandam, ipſemet iudicabis. Permeabiles reddidit fauces Romanorum ſolertia, quod optimè noueris, ſi decuſſas hinc inde rupes obſeruabis. Sic publicæ inſeruientes commoditati, naturam non vno in loco arti cedere coegerunt orbis domini. Cùm primùm è faucibus iam dictis emerſeris, longè lateq; procurrēs Campaniæ planities tuos recreabit obtutus. Ad dexteram, mare verſus, excurrit Maſſicus; ad læuam Sidicinorum colles, &

Ti-

Tifatæ iuga partem ſemicirculi Campaniam intercipiẽtis efformant. Turris Francoliſij humili, in colle locatur, ex quo veluti ex ſpecula ſubiectam oram circumluſtrare poteris. Tractus, qui ad radices Maſſici procurrit, ager, ſiue campus fuit Falernus, copia, & ſuauitate vini vſque in hanc ætatem notiſſimus, & ab Appia via quondam à campo Stellate diſcretus: itaut totum, quod à Sinueſſa, nunc *Rocca di Mondragone* per litus maris vſque ad fauces Vulturni excurrit ſpatium, vel ex toto fuit Stellates, vel cum Campano agro confuſa planities. Pro exacta horum camporum topographia adeatur Peregrinus, cum nec vacet, nec deceat parum humaniter deſerta per arua hoſpites circũducere. Iſtorum, ſicuti & aliorũ noſtræ Campaniæ agrorum felicitatem non ſemel Romani populi in ijs diuidendis comprobauit

uit altercatio, & auiditas. Quoties namq; ob vnius Campi Stellatis partitione, Agrariæ legis ſeditiones, & iurgia repullulaſcere ſuo damno Romana Reſp. experta fuit, quoaduſq; C. Iulius Cæſar, auram vt popularem captaret, ſuo in Conſulatu, agros prædictos viginti millibus ciuiū attribuit? Nunc ne quid rerum viciſſitudini nō eſſet obnoxium magna ex parte in pecudum paſcua conceſſere. Sed quid? Roma ipſa, quæ toties de alienis campis iurgia, ac quæſtiones excitauit, auiditatis antiquæ pœnas quodam modò luens, non ineptè interroganti *Iurgia camporum cur deſeruère Quirites?* Reſpōdere poſſet: *Eſt ager, & campus nunc quia Roma ſibi.*

Ad læuam ager fuit Sidicinorum, quorum caput Theanum nunc quoq; non inelegans oppidum. Capuam verſus incedenti, antiqui Caleni *Calui*, hodie indigi-

digitati veſtigia occurrunt. Omni fere ex parte diruta iacet hæc ciuitas, Venuſino Horatio ob vini præſtantiam quondam accepta. Illam proprium fatum, exoletamque felicitatem per iocum inter ſqualentia rudera efferentem audiamus.

Si crines vrbis ſunt turres, altaq; tecta,
His ego cum caream, non benè calua vocor?

Viæ Latinæ, hìc prope Calenum, varijs in locis premuntur fragmina. Hæc cum Appia ad pontem Caſilini contermina fuit. Iam noua Capua, ſin mauis dicere antiquum Caſilinum in conſpectu aderit. Citeriorem Vulturni ripam vbi attigerit hoſpes parumper ſubſiſtat, Annibalem in altera, otio delicijſque marceſcentem contemplaturus. Hic namq; eſt ille Vulturnus, qui victoria Cannenſi tumidos Carthaginienſes, & in Romæ excidium procurrentes abſterruit, & ripas, veluti repagulum labanti Ro-

Romanorum fortunæ oppoſuit. Hìc virtute paucorum tanquam ad ſcopulum allidi viſa eſt incō-cuſſa ad eam diem Annibalis gloria, dum, qui felici victoriarum curſu purpureas Trebiæ, Tranſimeni,& Aufidi aquas ſanguine reddiderat Romanorum, ab vnius item Vulturni curſu remoratus,præclariſſimæ victoriæ fructum, ſpemque rei deinceps benegerendæ, aut incautus, aut nimium pertinax etiam iudicio ſuorum amiſit.In gratiam igitur fluuij Romani imperij, & libertatis Italicæ aſſertoris, proſopopæiam ne pigeat auſcultare.

Ille ego Vulturnus claro, qui nomine fulgens
Tyrrhenis longo vertice mergor aquis.
Me vertas quàcumq; velis ſic nomina vertes,
Vt Vultur, Turnus, Vulnus, vbiquè ferar.
Aut auis,aut dux ſim,vel deniq; vulnera ſignē,
Campani populi gloria ſemper ero.
Seruatum imperium mihi debes Roma ſuperba,
Dum remoror Pœnum mœnia adire tua.
Hinc priſcos Tybris ceſſet celebrare triumphos
Murmure quin tacito fūdat in æquor aquas.

Poſt

Poſt Cānas illum victor dum Pœnus adiret,
Annibal hic Cannas nouit habere ſuas,
Et prope qui fluuios Aquilas ter ſtrauerat ar-
Attingens ripas corruit ille meas. *(mis,*

Obſtinatiſſimam Caſilini obſidionem habebis ex Liuio. Interim tranſuecto ponte ex lapide ſiliceo conſtrato, nouam Capuam ingrediare, Eam hunc in locum tranſtulit, vt ita dicam, LandoLongobardus circa A.D. 820. Solo namque, aut à Romanis, aut à quouis alio priſca illa Capua æquata, quæ ſuperfuerunt Campanorum reliquię, in locum qui dicitur *Triſiſco* cõceſsère, quas tractu temporis, ſiue ob fœditatem loci, ſiue ob crebra incendia, prædictus Lando ſuper antiqui Caſilini ruinas conſidere fecit: adeò & rerum ſenſu carentium circumaguntur viciſſitudines. Quis etenim vnquam credidiſſet Caſilinū illud Romanorum quondam Capuā obſidentium ſedem, & Capuæ de-

deſtruendæ præcipuum inſtrumentum, circumuoluta poſtea rota in Capuanorum aſylum cõuertendum? Ad læuam pontis, marmorea ſecũdi Friderici Cęſaris ſtat effigies à S.P.Q.Capuano ex varijs ſtatuarum fragminibus, prout illa ferebat ætas, concinnata. Nouam Capuam alluit à duplici parte Vulturnus; quod reliquum eſt, valida ad normam munitionis hodiernæ extructa propugnacula concludunt; vt mirum non ſit ſi vel ab Aragonenſium Regum temporibus, Neapolitani Regni clauis hæc ciuitas reputetur. Arcem paruã quidem, ſed loci ſitu munitiſſimam adiecit Carolus V. Cæſar. Vrbis ambitus ad I.I.M.P.extenditur. Viæ quamplurimæ amplæ, ſed Epiſcopium, nec ſtructura, nec amplitudine, ſedi inter omnes Regni Neapolitani Archiepiſcopali infula primo loco decoratæ, reſpondet. Varij Ca-

Capuanorum Principum tumu-
li præ foribus adſtant, quorum
cœnotaphia Peregrinus in ſua
Longobardorum Principum hi-
ſtoria tranſcripſit. Ciſternam
publico vſui deſtinatam, & in
qua tantum aquæ congeritur, vt
ad tres annos ſufficere credatur,
effodere curarunt prouidi ciues,
ne tempore belli diffractis cuni-
culis, per quos è Tifata monte
in vrbem illabitur ſaluberrima
aqua, paludoſas, quibus ſcatent
vrbani putei, in propriam perni-
ciem bibere cogerentur. Multa
tum virorum, tum mulierum
obſeruantur cœnobia. Prætoriũ
elegans, & cuius in anteriori par-
te multa antiquitatis monumẽ-
ta affixa, aut impacta ſunt, aſſur-
git. Pone hunc Diuæ Mariæ An-
nunciatæ ſacrum, quà ſtructura,
quà amplitudine attollitur tem-
plum. Incedenti denique per vr-
bem non domus, non ſemita,
non angiportus occurret; qui

lapides marmoreos literis exaratos, ſepulchrales vrnas, ſtatuarum, ac columnarum fragmina, vel alias antiquitatis exuuias non oſtentet, aut inter proſtratæ Capuæ, vel rediuiui Caſilini rudera à nouæ Capuæ conditoribus emendicatas. Priuatorum tamen domus ad commoditatē non ad luxum conſtructæ vidētur. Tam compendiosè deſcribitur, & luſtratur recens Capua, olim ſi nòn maior Roma, certè non minor Carthagine. Sic Ciuitatibus ſua manent obuerſantia fata, vt ſemel à primæua magnificentia dilapſæ in temporis deinde ludibrium reſeruentur. Oſtende nunc mihi non rudera; ſed ſitum tot tantarumque vrbium, quas vt miraculum artis, & vt fortunæ blandientis domicilium, aut ſuſpiciebat, aut venerabatur orbis? Vbi quæſo doctæ Athenæ, vbi inuicta Lacedæmon, vbi Romanæ magnitu-

di-

dinis æmula Carthago, vbi bellicoſiſſima Numantia, & ornatiſſima Corinthus? Eodem, quo Capua, fato periere, quæ tamē, vt dixi, toties mutauit ſedem quoadusque ab hoſte ſuo Caſilino ſitum emendicare coacta, eſt. Vt vt in famoſiſſimam vrbē, & quondam inter Romam, & Carthaginem adnumeratam, hoſtes, & tempus coniurarint, ob rerum tamen in ea, & circa eam geſtarum multitudinem, illorum ſæuitiam, & huius edacitatem, vel ſolo eludet nomine. Ager namque Campanus, vel apud rudes, & rerum antiquarū ignaros ſemper in pretio, ac admiratione erit. Tu interim, hoſpes, cogita, ea in planitie obuerſari, ripas illius Vulturni tenere, Campaniam denique illam perluſtrare, pro cuius poſſeſſione inter florentiſſimos populos nō ſemel de ſumma rerum dimicatum eſt. Hic Cumani, hic Samni-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nites, hìc Carthaginienſes, hìc Romani, hìc Vuandali, hìc Gothi, hìc Longobardi, propriæ fortitudinis varia edidete ſpectacula, adeo vt quidquid hac in regione pedibus calcatur, funeſtiſſima quandoque clade ſit nobilitatum.

Sed nouæ Capuæ iam valedicto iter ad læuam arripiamus, antiquæ, & à tot ſæculis euerſæ, vnum quod ſupereſt veſtigium obſeruaturi. Amphitheatrum illud eſt, inepta vulgi appellatione *Virilaſſi* vocitatum. Operis fuit Corinthij, immanibuſque ſaxis compactum. Vepres nunc, & ſpineta quàquauerſum illud occupant; vnde cum nobiliſſimi ædificij ſortem, non minus quàm Campanorum fortunam immanibus ſaxis veluti contectam deplorarem, Iacobum Sãnazarium ſequenti ad Amphiheatrum Campanum epigramate libuit imitari.

Ful-

Fulſerat hæc auro, mox fluxit arena cruore,
Quæ lapidum vili fragmine tecta latet.
Semirutos arcus, æquataque pegmata calo
Argento, & ſtatuis expoliata vides.
Cæſaris hic ſedes fuit, hic ſubſellia Patrum,
Hæ caueæ clauſas continuere feras.
Viſere ſi renuis tantum ſcelus, hoſpes, abito,
Parce oculos lacrymis contemerare tuos
Grande ſcelus cædes pleno ſpectaſſe theatro,
Grandius at vacuum gente videre locum,
Sola ſedet Nemeſis, ſatiataq; ſanguine, tandem
Morſibus extremis marmora dura vorat.

Solitudinem loci vbi contē-platus fuerit hoſpes, & numeroſiſſimas cryptas obſeruauerit, eā in ſententiam deueniet, Capuā eſſe ruinarum ſegetem, fortunæ ludibrium, & non ignobile tē-poris trophæum. Non procul ab Amphitheatro, nobile ſanctæ Mariæ, vt vocant, oppidum ſuper veteris Capuæ ruinis apparet; quo luſtrato, recta via ad VII. M. P. Auerſa noui nominis Ciuitas occurret. Hanc Rogerius Northmannus, primus Neapolitanorum Rex circa annum Domini 1130. veluti propugna-

ci-

culum inter Capuam, & Neapolim exædificari curauit. Hinc Neapol. Scriptores quaſi. Aduerſæ inter vtramq; vrbem, nomen inditum fuiſſe conijciunt, Errãt, qui eam è ruderibus antiquæ Atellæ enatam agnoſcunt, cũ per duo milliaria ab ijſdem diſtet, vt mox dicam.

Obſtupeſcet viator, vbi primum illam ingreſſus fuerit; Ciuitatem ſcilicet, nec ſuper alterius vrbis ruina, nec rudi ſæculo exædificatam, vias tamen adeò retortas, ac implicatas habere, vt labyrinthi veriùs quàm vrbis præſeferat aſpectum. Cathedralis, ſtructura licet aſſurgat Gothica, ampla tamen, & magnifica eſt, à Northmannis principibus Deo, ac Diuo Paulo Apoſtolo dicata, & pinguiſſimis Sacerdotijs locupletata. Ad læuã abſydis, ſacellum ad normam Lauretani à Carolo Carafa Auerſano Epiſcopo excitatum viſitur.

ſitur. Narrant ciues, quòd cùm Ludouicus Pannoniæ Rex, Andreæ fratris à Ioanna prima vxore laqueo enecti, mortem vlturus aduenisset, vt à iureiurando, quo ſe adſtrinxerat, vniuerſam ſcilicet Ciuitatem (Auerſæ ſi quidem Andreas iugulatus fuerat) igne ferroq; vaſtaturum, exolueret, ad mitiora cõuerſus, Auerſanum populum in Cathedrali concludi iuſſerit, & igne ianuis admoto, ſicuti & quorundam ciuium laxatis ex compoſito venis, itaut ſanguine poſtes ianuarum tingerentur, illico ignem reſtingui, & venas alligari præceperit; iactitans hoc inuento, & decori, & conſcientiæ fore conſultum. In ſuburbijs, monaſteria quamplurima. Celebre eſt, quod Diuo Laurentio ſacrum incolũt Caſinenſes. Cœleſtinorum pariter alterum, vel ex eo inuiſendum, quod è poſtica Chori parte adhuc perſtet fe-

neſtra (cænobium namq; Andegauenſium Regum fuit domicilium) è qua infelix Andreas pependit. Quin vſq; ad noſtra tempora extabat columella,in cuius baſi legebatur.

Hinc laqueo pendens clauſit miſerabile fatū
Andreas diro coniugis arbitrio.

Non procul à Caſinatibus Caſtrum diſtat Caſalucis, Ioannæ primæ Neapolitanorum Reginæ Gynæceum, & in quo multi ex regijs amaſijs in profundiſſimas ſcrobes poſt exſatiatam libidinem deturbati ſunt. Ab impudentiſſima Regina conſpurcatum Caſtrum, pietas Raymūdi de Baucio nobiliſſimi Reguli, in caſtiſſimæ,ac ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ tranſtulit venerationem. Aſportatam namque ex oriente eius à Diuo Luca depictam imaginem, & duas ex hydrijs conuerſione aquæ in vinum notiſſimis prędicto in Caſtro collocauit, illudq;

con-

conſentiente Ludouico Rege Monachis Cęleſtinis cum mero, ac mixto imperio attribuit. Arx operis antiqui ſemidiruta viæ imminet publicæ ab Aragonenſibus Regibus excitata, in qua poſt extinctum in obſidione Neapolitana Lautreccum, Marchio Salutiarum, & Petrus Nauarrus ab Orangiano Principe capti fuere. Illum mœror breui confecit, hunc tanquam Catholicæ militiæ, poſt cladem ad Rauennam deſertorem diu in Caſtro Lucullano, ſeu vt vocant, Oui aſſeruatum, & mox capite iuſſu Caroli V. plectendum, Caſtri Præfectus, ne ſub carnifice præclariſſimus militiæ ductor ignominiosè caderet, ſæua quadam pietate percitus, propinato veneno ſuſtulit. Latiſſimi, qui ad meridiem excurrunt campi, ager Campanus, Linternus, & Phlegræus, ſiue Leborinus fuère, quibus ommiſſis altera ab re-

giæ viæ parte Septentrionē verſus, Atellanum digrediamur in agrum, laſciuienti incolarum in theatris geſticulatione notiſſimum. Foſſas, ac vallum quadriforme nō procul à Sancti Arpini pago adſpicitur, quod abſq; dubio fuit Atellanæ vrbis pomœrium. Solo aliquantiſper ſupereminet quadratus ille tumulus ad duo milliaria per gyrum circumductus. Quod obſerues nihil eſt; adeò cuncta diſiecta, ac ſolo æquata ſunt, vt vllum ibi perſtitiſſe ædificium vix crederes, ni minutiſſimæ teſtulæ per arua diſperſæ, & ſemirutæ quædam parietinæ, quas vulgus vocat *lo Caſtellone* fidem adſtruerent. Templum quoddam fuiſſe contendunt multi; ego verò dum illas attētiùs perluſtrarem, ex cuniculis, vaporarijs, ac fiſtulis, balneum fuiſſe deprehendi.

Ad rudera balnei Atellani

Vrbs hæc innumeris quondam famoſa theatris

Cur

Cur nunc in ſignum balnea ſola tenet?
Extitit obſcena hæc adeo, vt quoq; tergere ſor-
Nunc egeat: meritò balnea ſola tenet. (des

Ex Atellano agro Capuã verſus retrogrediare neceſſe eſt, vt radices Tifatæ montis legendo Caſertam, ex ruderibus antiquę Calatiæ exortam, obſerues. Caſerta alia, quam veterem appellitant, colli inſidet, ſqualentibus vndequaque ædificijs, ad cuius radices, in varios pagos diſtributa, noua hæc efformatur. Viridarium, quod vocant *lo boſchetto* ab Aquauiuis Caſertæ Regulis inſtructum, quà amœnitate, quà laxitate, ac elegantia cum Tuſculanis contendit. Nobile inde ſequitur *Madaloni* oppidum à Carafarum familia cum alijs adiacentibus titulo Ducali poſſeſſum. Tramite primùm recto, deinde recuruo excurrebat hinc Appia, poſtquam, Capua per vallem Caudinam, Beneuentum à C. Cæſare, & hinc à Traia-

no Brunduſium vſq; conſtrata.
Poſt *Madaloni* altiſſimo ſub iugo eo in loco vbi aram Cynthiæ extitiſſe volunt nonnulli, elegans conſpicitur Arentij oppidum. Iam in limine faucium, vulgo *le forche Caudine* clade Romanarũ legionum toto orbe notiſſimarum aderis. Arpadium verſus perpetuis, iiſdemque altiſſimis iugis obſepta in modum pyramidis excurrit vallis: cuius baſim Caſtrum iam dictum Arentij, cuſpidem Arpadium ipſum efformant; adeo ſiquidem hìc coanguſtatur vallis, vt vix ad iactum lapidis pateat. Hac in fauce (ni potius arctiſſima anguſtia) conſepultum, non ædificatum dices Arpadium noſtræ Campaniæ limes, & Samnitum limen. Prope Arpadium, horrendum ſub oculos veniet barathrum à Samnitibus quõdam haud dubiè, quo faciliùs Romanis ad eorum regionem depopulandã
pro-

prohiberetur ingreſſus, ni veriùs quò vltrà in vallem Caudinam, concluſis,difficilior ex hac parte foret in Campaniam regreſſus, effoſſum.

Verùm, quàm oculis tetrum exhibet ſpectaculum iam dictũ barathrum, tam pedibus, & capiti, aut iam decuſſa, aut ab alta rupe caſum minantia ſaxa periculum ſimul, ac timorem viatoribus incutiunt. Dignam loco hìc animaduerſionem faciamus, lamentabilem ſcilicet has inter anguſtias Romanorũ cladem reuocãdo ad mentem. Furculæ hæ ſunt Caudinæ, æquè Samnitum aſtu, ac Romanorũ ignominia nobilitatæ. Etenim cùm Lucerinis à Samnitibus obſeſſis in vallem vlteriorem,extra inſidiarum metum, opem allaturi irrupiſſent Romani, illico per iuga montium cohortes apparuere Samnitum, faucibuſque vltrò obſeratis, anguſtiſſimo ve-

lut in carcere, fruſtra per triduū exitum pertentatibus, Romanorum legiones interceptæ fuere. Qualis tùnc illis facies, quodue cor, cogita. Sed fato cedere demum coactæ, ignominioſiſſimo iugo ſubmiſere ceruicem. Vix lacrymas continere valebã, cùm illac non ſemel iter facerē, non tam ſuperbia offenſus Samnitum, quàm ſorti Romanorum compatiens. In oculos veniebant conuiciantes ab alto Samnites, & iteratus nuntius de aut gratioſè dimittendis, aut de cōfertim trucidandis Romanis. Lamentabiles voces, vlulatus, ſuſpiria, gemituſque Romanorum concaua per illa quodammodo reboare ſentiebam. Conuicia quæ milites nunc in Conſulum imprudentiam: nunc in hoſtium calliditatem effundebant, ac ſi præſens, exaudiebam. Hoc arctiſſimo in loco, nullo hoſtium periculo, vel diſpendio, ſpes, for-
tunæ-

tunæque populi ad orbis imperium nati concludebantur. Sic, ob vnius ducis aſtum, vigor militaris Romanorum elãguit. Sic vnius vallis anguſtiæ faſtum illũ depreſſere, cui vaſtiſſima totius orbis plaga in virtutis præmium deſtinabatur. Ab anguſtijs tamen poſt triduum emerſi Romani, inſtar flammæ, igniſque retenti, validiores nedum in Samnites, ſed in totum quod Italiæ erat reliquum, felici poſtmodum, perpetuoque victoriarum curſu erupere; vt dici potuerit, ignominioſum illud iugum verè ludentis fortunæ opus extitiſſe, ſi quos tam pudibundè nuper preſſerat, rota è repente circumducta, ad orbem catenandum euexit.

Ad furculas Caudinas

Anguſtæ hæ fauces, barathrũ, prœruptaq; ſaxa
Caudini quondam cauſa fuere doli
Altipetẽs Aquila hic cecidit, quin clauſa remã-
Sãniſq; indomitus fraude iuuãte ſtetit. (ſit,
Nũ raptas olim imbelles, teneraſque Sabinas,

 Aſtu

Aſtu pendiſti, ſubdola Roma pari?
Samnitum Populis Quis quaſo Reſiſtet, aratro
Orbis vbi Dominam ſubdere colla iubent?

Sed infauſtam vallem vltrò ab oculis ſubducamus,& iterum in Campaniæ felicis planitiem meditemur regreſſum. Pręter-greſſo itaque Arētij Oppido, accliui in colle ſemirutum caſtrū vulgò *lo canciello* conſpicitur, ad cuſtodiam vallis haud dubiè excitatum. Caudini hinc montes orientem verſus extenduntur, alteram ſemicirculi partem noſtram Campaniam intercipientis efformantes, ad quorum radices,vbi Virgiliano Monti ſe iungere incipiunt,pagus *Abella* ſitus eſt, quo in loco, partim à ſtagnātibus ex imbre aquis, partim à ſcaturiginibus Clanij efformantur fontes. Narrat Ambroſius Leonius in ſua Nolani agri deſcriptione,non ſemel ex Scrobe Abellam prope tā impetuosè effluxiſſe aquas, vt omnem No-

lanum

lanum agrum alluuionibus miſerum in modum fœdauerint: hærentibus interim Nolanis, nũ potiùs prædictæ ſcrobis inſanientes aquas, an è regione furentes Veſeui flammas execrarentur. Adeò enìm commẽtitia illa numina de nobiliſſimæ regionis poſſeſſione dimicare viſa ſunt, vt quod Ceres, & Bacchus ad delicias in ea locauere, ſui iuris facere Vulcanus, & Neptunus contendant. Hinc ad V.M.P. meridiem verſus Ciuitas Nolana in conſpectu aderit, Campanorum Præſidum olim ſedes, & ob inter Marcellum & Annibalem pugnam, ac Auguſti deceſſum, notiſſima. Sed quæ, Deus bone, præclariſſimæ vrbis à Chalcidenſibus quondam conditæ, & ob murorum pulchritudinem ipſis hoſtibus quandoque probatiſſimæ nunc manent veſtigia? Vbi amphitheatra illa duo, lateritium vnum, marmoreum

alterum, ornatu, & amplitudine Romanis exequanda? Templum, aut domus in qua deceſſit Auguſtus, nec adſunt, nec vbi conſtiterint eſt qui norit. Terra vbilibet effodiatur, fornices, concamerationes, ſegmentata pauimenta, mutilaſque ſtatuas promit: ſqualida priſcæ magnificentiæ monumenta. Super Iouis templi rudera elegans ſuperinducta eſt cathedralis Eccleſia. Leonij ætate, Mercurij, & Victoriæ delubra viſebantur ex parte. Regia, ſiue Palatium Nolanorũ ex gente Vrſina, Comitum, in Patrum Soc: Ieſu ceſſit Collegium. Extra portam quà Laurianum itur Marcellus cum Annibale pugnauit, & primus fuit Romanorum, qui Pænos vinci poſſe edocuit. Haud multum à mœnibus Nolanis pagus diſtat corrupto nomine *Cimitino* appellitatus. Hic eſt illemet locus Diui Paulini ſeceſſu clarus,

in quo plures per annos ad Diui Felicis ſepulchrum excubauit. Hic Baſilicas, hìc cęmeteria quãplurima conſtruxit, & innumerabiles SS. Martyrum exuuias varijs è locis aſportatas condidit. Huius loci topographiã, exactè deſcripſit Andreas Ferrarius Nolanus. Vt vt tamen ab ædificiorum elegantia ſplendorem inter Ethnicos ſibi Nola cõpararit, ſub luce nihilominus Euangelij, clarior à fortiſſimis Chriſti athletis Ianuario Beneuentano Antiſtite, impunè prope illam in ardentem fornacem iniecto, & Felice Nolano Præſbytero, aranearum telis, dum quæreretur ad necem, obtecto, reddita eſt. Splendorem adauxit deinde Sãctiſſimus Paulinus, feruenti in Deum, ac proximum charitate, nec ipſi Paulo Secundus, & ob Campanarum inuentionem per omnes Chriſtianorũ cœtus ab ipſis quoque metallis

ſo-

ſonitu aſſiduo concelebratus. Sanctiſſimi viri corpus Nola Beneuentum, inde Romam in inſulam Tyberinam ab Othone Imperatore aduectum vſque in hæc tempora veneratur, & colitur. Sic qui nimio charitatis ardore ſuccenſus, vt iuuenem à Vuandalorum captiuitate redimeret, Africani cœli plures per annos ardores ſuſtinuit, iā mortuus veluti ad ſolamen in medio aquarum requietem expetere viſus eſt; quod ſanè Auguſto nō datum, cuius cineres Nola Romam aſportati, & in mauſoleo prope Tyberim locati, aut tempus, aut per Vrbem debacchans fluuius diſperſit.

Ad Vrbem Nolanam

Omnia qui tenuit, moriēs hìc cuncta reliquit,
Et, proh, nec cineres tu modò Nola tenes.
Auguſti forſan Paulinus fata ſequutus,
Hìc moriens aliò ſplendida buſta tulit.
Fluminis at medio perſtas nūc inclyte Praſul,
Et prope qui fluuium ſtabat in amne fluit.
Feruida ſic potuit pietas te ſiſtere terris,

Ten-

Tentet vt incaſſum trudere flumen aquis.
Vt ſolus regeret Cæſar domiti orbis habenas,
Perdidit innumeros, orbe gemente, viros;
Aſt vnũ vt redimas hominẽ, tu feruide paſtor,
Solus & intrepidus barbara tecta petis.
Hinc ſonitu aſſiduo celebrat te fama per orbem,
Per te ſi diſcunt ipſa metalla loqui.

Vltra Nolam, orientem verſus, continuata Hirpinorum iuga noſtræ Campaniæ imponunt metam; quare ſeptentrionem verſus iu Acerranum agrum eſt deflectendum. Non procul à Caſtro iã dicto *delli Cancelli* Sueſſulæ cernuntur rudera. Ob loci opportunitatem modò Samnites, modò Romani hanc Vrbem ſui fecere iuris. Calamitatum tamen extremam paſſa eſt circa A.D. 846. à Saracenis Cãpaniam deuaſtantibus. Antequã Acerras teneas non contemnendus aquę riuus primùm emergit, ſuperioribus annis ſumptu incredibili ex poſtica Tifatæ montis parte deductus, vt Neapolitanis molendo tritico inſeruiret. Eodem

dem in loco ad dexteram patet latiſſimus campus vulgò *la Starza del Conte* omnium qui in Italia ſunt ad miraculum penè diſpoſitus, & excultus. Ad iuſtum milliare conſitæ arbores, varijs ſe inuicem tramitibus interſecantibus, excurrunt, itaut, quàcumque oculos vertas nouus ad eãdem longitudinem trames reſultet. Incredibilis eſt vini quæ ſingulis annis expromitur copia. Quindecim ferè millia arborũ, vitibus reuinctarum altiſſimis, numerantur, quãdoque etenim in eo, ſiue ob temporis defectum, ſiue ob racemorum exũdans pondus aut non perficitur vindemia, aut liberaliter cuilibet, quod reſtat; proprijs ſumptibus vindemiandum relinquitur. Agri huius celebrantur pepones, & poma perſica. Iam in conſpectu erunt Acerræ quàm humili in loco ſitæ, tam ob rerum apud ipſas olim geſtarum

co-

copiam celeberrimæ. Muro qua drato cinguntur. Verùm nihil eſt quod ſui obſeruatione hoſpites remoretur; pauca etenim quæ intra mœnia ſunt ædificia, aut iam diruta iacent, aut ruinã minantur, vnde nunc ſolo nomine inclareſcunt Acerræ. Habitatores, vt & tempore Virgilij, admodum rari, & qui ob grauitatem aeris, coloris ſint pumicei, & ventrem habeant tumidum, & obæſum, quo euenit vt miſeris Acerranis ab hiſtrionibus noua ſit in theatris ad ludibrium corporis adaptata perſona. Nõ procul à mœnibus, triplici partitus alueo, lentè admodum fluit Clãnius, hac vel ratione non prætereundus, quòd à Poetarum principe non obliteretur.

Relicto Acerrano agro, in meridiem tendentibus, pagus quidam ab accolis *Caſale nouo* appellatus ſe ſe offert, nec multò poſt, omnium, quæ in Regno Neapo-

li-

litano ſint frequētiſſima, & āpla occurrit via per quam in Daunos, Apulos, Salentinos, Iapygios, & quidquid tractu Hydrūtino vſque ad promontorium Leucadis terreſtris eſt itineris, peruenitur. Radices Veſeui, & numeroſiſſimos inibi adiacentes pagos circūluſtrare poterit viator. Verùm cùm nihil antiquitatis redoleant, conſultiùs inſpectis Sebethi fontibus in loco qui dicitur *la Volla* Neapolim verſus arripiet iter. Palatium vulgò *Poggio Reale* Aragonenſium Regum quondam deliciæ, & veſpertinæ deambulationis meta occurret. Locus aquarum copia iucundiſſimus eſt, duas habens Naumachias, & periſtylia non inelegantia. Inferiora cubicula varijs picturis, Aragonēſium Regum geſta celebriora exprimentibus, Cingarus ea in ætate pictor excellētiſſimus exornauit. At labantem Arago-
neo-

neorum in hoc Regno fortunā nobiliſſimi huius ædificij ruina ſubſequi viſa eſt; adeò enim rimoſum & omni ex parte fœdū eſt, vt modò ſtolidiſſima animātia paſſim inhabitent ſecretiora Regum illorum gynæcea. Hoc eodem in loco Neapoli affinē, quin congenitam extitiſſe Palepolim multæ euincūt coniecturæ, & multa Strabonis, Liuij, & Plinij profert Peregrinus teſtimonia. Sed cùm vtraque Ciuitas ob vicinitatem ferè in vnum quandoque coaluerit, genuſq; & origo ex eadem fuerit Chalcidenſium gente, non eſt cur diſcutiamus, vtrane illa antiquior, vel illuſtrior, & hæc ab illa mutuata ſit nomen: præcipuè cum nec tantillum de Palepoli multis ab hinc ſæculis cernatur veſtigium. Totum quod mare verſus interiacet ſpatium, Palus eſt Neapolitana, herbarum victui humano inſeruientium adeo fe-

rax,

rax, & ſollicita, vt nunquam, nec per momentum, à germinãdo ceſſet. Riuulis ex Sebethi alueo deductis, mirumque in modum aut elatis, aut depreſſis, lata hæc planities fit irrigua; vnde non mirum ſi quod aliæ vrbes à diſſitis locis, & viridarijs emendicare coguntur, hìc vno in loco ad ſatietatem præſtet mille modis torta, & exculta patientiſſima tellus.

Hæc eſt illamet palus in quam Odettus Lautreccus, vt obſeſſã Neapolim ſiti perſtringeret, formalis, vt vocant, aquæductu effracto, parum cautus aquam inuexit; etenim antiquę veluti memor cognationis inter hęc paluſtria conſepulta Palepolis, eo quo potuit modo Neapolitanis opem tulit, fœdos videlicet vapores excitando, per quos, & exercitus, & Dux ipſe peſtilentia affecti, non benè penſitati conſilij pœnas luere coacti fue-

re;

re; adeo in vnius Campaniæ fœlicitatem adaugendam ſemper intenta videtur natura, ſi quod vltro Neapolitanis ad delicias, vt ita dicam, propinat, in Gallos hoſtes diſpergendos tam opportunè retorſit. In eo, qui viæ imminet colle, ſua habuit tentoria Lautreccus, ignarus, quale ei mox deſtinabatur ſepulchrum. A rudi ſiquidem, ſed auaro homine cadauer eius Neapolim aſportatum, & plures per dies abdito, ac ſordido in lòco humatum, poſtquam nulla illud redimendi affulſit ſpes, tunc primùm patuit, & à Ludouico Corduba, Magni Conſalui Nepote, Auito in Sacello locatum fuit. Verũ, quàm ob ſolutam obſidionem, & ſeruatam ab epidemìa vrbem iucundiſſimæ memoriæ Neapolitanis extitit locus ille, tam luctuoſæ nunc eſt recordationis; ſub noua namque eccleſia, obſerata cernitur crypta *de li Sporti-*

glio-

glioni iampridem appellitata, in qua ad ducenta cadauerum millia tempore peſtis in anno 1656. promiſcuè ingeſta ſunt; adeo vt via hæc verè olim regia, & ob amœnitatem veſpertinis deambulationibus reſeruata, nunc meroris ſit ſemita, & prætereũtibus cladis funeſtiſſimæ cataſtrophen reppræſentet. Via prędicta emenſa, ipſa nunc Campaniæ, & totius regni caput Neapolis in conſpectu aderit, ad quã patentiſſima via fontibus marmoreis, & virentibus hinc inde aſſurgentibus arboribus, poſt milliare peruenitur. Quod reliquum eſt itineris Auerſa Neapolim vſque omni prorſus caret antiquitatis veſtigio, vnde non eſt, cur hoſpitem à mœnibus Neapolitanis vltro ſubducam. Vnum tamen abſq; ſcelere vix omittam, excubiarum nempe, ſiue Gabellariorum, vt vocant, in Sarcinis viatorum euoluendis,

dis, pluſquam par ſit interdum, rigorem. Caueat itaque hoſpes, ne vetiti aliquid importet, efferatue; Sicuti nec enſem plus iuſto longiorem, vel cùm finibus regni eſt egreſſurus, ſummã monetæ decem coronatos excedẽtem aſportet; Fundis enim excubant indagatores emunctæ naris, & importuni, qui te pro libito vexant, & ſupellectilem omnem, crumenaſque euertũt, & rimantur. Sed iam mediterraneæ huius regionis hìc limes eſto, & viatori ſat inter paluſtria, & arborum opaca detento, amœnior, iucundiorque per litoralem Campaniæ oram proponatur aſpectus.

COELESTINI GVICCIARDINI

Campaniæ Felicis pars litoralis.

LItoralem Campaniæ oram nunc luſtraturus, hoſpitem à mœnibus Neapolitanis ad promontorium Mineruæ, antequam vrbem ingrediatur, vel egomet inuitus traducere cogor: nobiliſſimæ vrbis inuiſendæ moram iucundiſſimo haud dubiè compenſaturus aſpectu. Et quis ab extremis mundi plagis ad Craterem illum perluſtrandum non auolaret in cuius efformatione obſtetricante primùm, vt ita dicã, natura, hominũ deinde, ac elementorũ pro illius poſſeſſione, aſſidua cernitur pugna, nulla arte

arte

arte ſuperabilis cõperitur æmulatio? Sane ſi Strabonis ætate adeo exornatus erat, *tum ædificijs, tum plantis, ita inter ſe collocatis, vt vnius vrbis præſeferret aſpectum* longè quàm credi poſſit nunc iucundior apparet, dum, vel ſola Neapolis, maximam illius partẽ latiſſimis complectitur brachijs, fruſtra interim *flammas cinereſque vomente Veſeuo*; quod enim ab eius eruptionibus obruitur, illico ob Neapolitanorum ſolertiã noua faſtigiatione reſurgit; & ſi quandoque, vt ait Caſſiodorus, *Veſcui ob cineres, vſque ad arborum cacumina, dorſa intumeſcant camporum* non ideo patitur ſolitudinẽ amœniſſimi litoris circumducta plaga, ſed ſegetes iterum ſupra ſegetes vireſcere gaudent, & nouis ijſdemque continuatis ædificijs ornatiori ſemper circuitu, veluti ad nouam vitam noſter Crater caput attollit.

Sed iam à promontorio Mi-

neruæ (hiatu ad III. M.P. patente à Caprearum inſula vi terremotus,vt multi autumant,dirẽpto) Crateris noſtri aggrediamur deſcriptionem ; illorum interim contempto ſupercilio,qui tractum à Stabijs vſque ad promontoriũ Mineruæ noſtræ abnegant Campaniæ. Promontorio prædicto alterum veluti ex diametro opponitur, caput nẽpe Miſeni, Baiani litoris ad meridiem limes. Maris intercapedo ab vno in aliud promontoriũ ad xxx. M. P. extenditur. Ambitus verò per Neapolitanum ſinum ad quinquaginta circumducitur : ſicque aut à longe proſpectantibus, aut propiùs dimetientibus ſemiouali figuræ non abſimilis poteſt videri Crater.

Veniam tamen dabit hoſpes, ſi parumper illum à continenti diuello, vt Caprearum inſulam, Tiberij Cæſaris inhabitatione famoſam, quantum illorum patitur

titur ſcopulorum acceſſus obſeruem. Aſſurgit hæc glomeratis inuicem cautibus, quæ ſicuti adeuntium oculos territāt, ſic & in eas colliſi fluctus aures fragore percellunt aſſiduo. Obſtupeſcet hoſpes dum penſitabit inter has ſyrtes, ac ſaxa prærupta, orbis dominum ad decem & octo annos pertinaciter conſediſſe, & ad vnius Scopuli metā, vel ipſos Reges venerabundos aduocaſſe. Bonus tamen Genius hoc illi indidit: Vulpinam etenim cum gereret mentem, & inauditis ad illam diem laſciuijs oblectaretur, talia ad latendum loca meritò appetere eſt compertus.

Ad Capreas.

Hæ cautes, ſyrtes, Scopuli, glomerataq; ſaxa
Sunt Capreæ, quondam Cæſaris alta quies.
Num quia te Vulpem vocitabant ſane Tiberi
Inuia quærebas, dignaque Vulpe loca?
An mage cum Capro ſimilem te fœda libido
Redderet, hinc Capreæ te tenuere diu? (omnis,
Et tamē huc aquila, hucq; lupa, orbiſq; appulit

Et tumidus pelagus carbaſa prona tulit.
Infelix orbis, quem tot rexere per annos
Capræ, Aquilæ, Vulpes, et Lupa iũcta ſimul.

Tui ſit arbitrij vel eminus, vel cominus hanc laſciuiarum officinam proſpectare. Quod mei eſt inſtituti expromo. Carthuſianorum elegans eſt in ea cœnobium. Pagi aliquot circumſtant in litore. Cryptæ quamplurimæ, & rudera quædam Tiberiani Palatij viſuntur. In altiſſimam totius inſulæ rupẽ per gradus in ipſa exciſos patet aſcẽſus. Habitatores rari, & qui vel iactis in mare, vel in aëre ſuſpẽſis retibus ex coturnicum tranſitu, aut piſcium captura, victum, fortunamque ab inconſtantibus elementis emendicare coguntur.

Sed iam promõtorium, quod in occaſum vergit hybernum, à propinquo Mineruæ delubro quondam ab Vlyſſe condito, caput Mineruę appellitatum adeamus.

mus. Inſtar peninſulæ in mare excurrit tractus iſte, à Picentibus hùc quondam è Piceno aduectis Picentinorum regio poſtmodum vocitata. Ab oſtijs Sarni ad promontorium Mineruæ XXIIII. P. M. numerantur. Latitudo quà minor ad quinque, quà maior ad quindecim patet. Montuoſus eſt adeo, vt per litus tantùm ſit permeabilis. Pars quę meridiem proſpicit dicitur vulgò *la Coſta d'Amalfi*, & licet Cãpaniæ limites excedat, Andreæ tamen, & Matthei Apoſtolorũ corpora, huius Salerni, illius Amalphi quieſcentia, citra Geographorum quærimonias, hoſpitem ad illa veneranda poterunt aduocare; quibus vt par eſt veneratis, ad Craterem perluſtrandum iam redeamus. Mineruæ itaque promontorio, & faucibus, quas *bocche di Capri* appellitat vulgus, ſuperatis, prominet *Maſſa* à delubro Mineruæ olim,

vt dixi,ſacro, nunc etiam Maſſa Lubrenſis indigitata. Sequitur inde Surrentum,Sirenum quondam, ſi Plinio credimus, ſelectiſſima ſedes, quemadmodum & hodie non contèmnendæ nobilitatis ſedile. Non etenim multi Neapolitani proceres dedignantur è Surrento ſua agnoſcere, & fateri primordia. Vuādalis ſiquidem, Gothis, & Longobardis Campaniam vaſtantibus, præcipuas Campaniæ familias,ob ſitus fortitudinem,attraxit Surrentum, à Barbaris illis, vſu nauium carentibus,haud facilè adeundum. Felicioribus deinde ſæculis, ſub Northmannorum videlicet, Sueuorum, & Andegauenſium dominatione, omni iam barbarorum excuſſo metu, è latebris, vt ſic loquar, conſepulta ad eam diem nobilitas prodire cœpit, quæ poſtmodum ob res in bello fortiter geſtas, & ob inſitam generoſitatē

inclareſcens in dies, præcipuum inter alias Europæ ſibi vendicauit locum. Surrentinis tamen condoleo, quòd ob antiquorũ Scriptorum ſilentium, mihi haud liceat circa eorum litus diutiùs immorari. Surrentina vina antiquis probata exoleuiſſe, & ipſi accolæ fatentur. Feliciori tamen vſura, ni fallòr, ab alendis vitibus, in procreandis toto orbe celebratiſſimis vitulis Surrẽtinorũ ſolum traductum eſt, quibus, & raritas, ni veriùs populo nimium referta Neapolis, prẽtium & exiſtimationẽ adauget. Amœniſſima, & quantum adiacentium montium aſperitas patitur, gaudet planitie Surrentũ, in qua præter frequentes pagos, præclara obſeruabis antiquitatis veſtigia, vt inde certè conijcias, Romanorum florente fortuna, cætera huius regionis loca Surrentum exæquaſſe delicijs. Sunt qui velint ter maximum illum

noſtri æui Vatem Torquatum Taſſum hìc inter blandientes Sirenum receſſus primam aſpexiſſe lucem. Verùm cum adhuc ſub iudice lis maneat, hoc affirmare non auſim, ſed ad tanti viri gloriam adaugendam, vt de Homeri inter Grecanicas vrbes, ſic & hanc de Taſſi patria concertationem indeciſam relinquo.

Vicus deinde Equenſis edito in loco mari ſuperſtat, vbi aeris mira totum per annum experitur temperies; adeo vt ablegatis ardore æſtiuo, ac brumali frigore, Ver, & Autumnus fœdus videantur pepigiſſe perpetuum, & meritò dici poſſit.

Hic Ver aſſiduum atq; alienis menſibus æſtas,
Bis grauidæ ſegetes, bis pomis vtilis arbos.

Quid namque iucundius, quàm è teſtaceis vaſis pendentes, algorem Capricorni deludentes inſpicere botros, & geminata naturæ, & artis induſtria contra tem-

temporis malignitatem etiam sub dio fruges conſeruare delicatiores?

Vltra enauigantibus ſeſe offert *Caſtell'aMare*, eo propemodũ in maris receſſu, & loco, vbi à Lucio Sylla euerſæ Stabiæ conſtiterunt. Coaluerit ne hæc recens ciuitas ex villis ætate Plinij circumſtantibus, vel de nouo ſit ædificata, ſicuti an multùm, an parum diſtet ab euerſis Stabijs, expetat à Peregrino, qui velit. Mons, qui inter Vicum, & Stabias aſſurgit, omnium, qui in Italia ſunt, nec falsò, altiſſimus iudicatur. Si etenim à maris ſuperficie (à qua aſperè admodũ ſe attollere incipit) vſque ad cacumen dimetiatur, celſiora Apennini iuga ſuperare deprehẽdetur. Quod tamen eo pacto accipias velim, yt à plano, ſiue baſi ad verticem vſque protrahatur dimenſio; neq; enim ignoro, Apennini dorſum multis in

locis primam aeris regionẽ excedere, quod tamen euenit ob vnius iugi ſupra aliud, vt ita lòquar, ſuperimpoſitionem. Aſt Altimetriæ ſtudioſis hæc, & ſimilia diſcutienda relinquo. Ad Stabiarũ interim litus deflecto, vbi Senior Plinius à cinerum inuolucro oppreſſus, nimiæ curioſitatis pœnas, ſuo, & totius literariæ Reipubl. damno exoluit. Sed ad tanti viri caſum,cũ, vt par eſſet,condolere non poſſim, hoſpites ad iuniorem Plinium remitto, cùm vnius Plinij miſerabile fatum,nec veriùs,nec digniùs, quàm ab altero Plinio defleri, aut deſcribi poſſe exiſtimem.

Iam ad Sarni oſtia peruentum eſt. Tractus, qui orientem verſus extenditur,Nucerinorum eſt ager, & ipſe iam pridem Campaniæ felici adſcriptus, ſed hodie,ob varias prouinciarum partitiones, Picentinis attributus.

Tran-

Tranſuecto Sarno, eo ferè in loco, vbi ja ſubſultante terra primùm concuſſi, deinde à Veſeuiana conflagratione ſub Tito obruti conſtitere Pompeij, Turris Annunciatæ, vt vocant, ſuperædificatus eſt pagus. Dabit veniam hoſpes ſi in gratiã amœniſſimæ quondam vrbis, arenoſo hoc in litore miſerrimam illius euerſionem cõtemplaturus ſubſiſto. Errant, qui omnimodam illius internecionem erumpenti ſub Tito in flammas Veſeuo attribuunt, dum Seneca Tito antiquior, Regulo, & Virginio Coſſ. ſolo à terræmotu æquatã commemorat. Ne tamen poſtea caput attolleret, variæ, quæ ſubſequutæ ſunt conflagrationes Veſeui, obſtitere. Adeò his in locis ſuas in cætera Numina iniurias vlciſci quodammodo geſtit Vulcanus. At fabuloſis in re ſeria omiſſis parergis, certũ eſt, litoralis huius plagæ nedum,

ſed totius ferè Campaniæ frequentatiſſimum Emporium extitiſſe Pompeios: omnium ſiquidem, quæ per Cāpaniā importabantur, aut ex ea efferebantur vectigal inibi exoluebatur. Sunt, qui verba Strabonis penſitātes, Pompeiorum rudera eo in loco, qui dicitur *Scafato* agnoſcant: ac ſi eadem nunc, quę olim, litoris, huius facies exiſteret, nihilque ob crebras Veſeui eruptiones im mutata fuiſſet; quod, cùm certò certius ex vltimo Veſeuiano incendio accidiſſe conſtet, non dabitur crimini, ſi quemadmodum ob ignis, & terręmotus violentiam, vbi prius ludebant nauigia, modò luxuriantes debacchentur vites, ita, & aliquantiſper Straboniana inuertatur geographia. Prope Pompeios villā habuit ſumptuoſiſſimā Cicero, ad quam, proſcriptionem declinaturus, contendere properabat: verùm ab ingratiſſimo Popilio

For-

Formijs, vel vt alijs placet, Aſturæ præuentus, obtruncatus eſt. Hinc, & ſi deletis Pompeijs condoleam, ob hoc vnum tamen illis gratulor, quòd Oratorum Principis cædem haud contigerit inter proprias clades adnumerare. Haud procul à Pompeijs, ad Veſeui radices, ciuitatis cuiuſdam ignoti nominis viſuntur rudera. Stabias, ſed craſſo nimium errore, fuiſſe nonnulli contendunt. Alij Tauraniam, inter quos Capaccius. Sed accuratiſſimus Peregrinus, Coſam, ſiue Coram fuiſſe euincit, ab Hetruſcis Campaniam olim obtinentibus conditam, & pari circumiacentium vrbium infortunio, à Veſeuianis incendijs obrutam, aut deiectam.

Antiquum Herculanum eodē in litore per V.M.P. à Pompeijs Neapolim verſus diſtabat. Fuerit ne Hercules tam Pompeiorum, quàm Herculani conditor, ni-

nihil ad me. Euerſorem certum agnoſcimus, igniuomum nempe Veſeuum, qui quoties erumpit in flāmas, ſicuti faciem adiacentis immutat regionis, ſic & euerſoris, & conditoris famam quodammodo geſtit promereri. Herculani itaque ruderibus nouum ſuperinductum eſt Oppidū vulgò *la Torre del Greco*. Sed quònam amœnus ille collis, in cuius dorſo Herculanum extabat, & promontorium illud in mare recuruum, quo nobilis efformabatur portus, abiere? Cinis, bitumen, ignis, ſubſultans humus, mare refugum in nobiliſſimam orbis plagam coniurantia eradicarunt, conſepelierunt; adeo vt Statium aliquando vera præciniſſe iam conſtet.

Mira fides! credet ne virûm ventura propago,
Cū ſegetes iterū, cū iā hæc deſerta virebūt,
Infra vrbes, populoſq; premi? proauitaq; tota
Rura abyſſe mari?

Erumpat tamen in flammas Ve-

Veſeuus, lapides vibret, ſolum operiat cineribus, & liquati bituminis torrentes eructet, nunquam ab amœniſſimi litoris habitatione accolas abſterrebit. Sicuti Strabonis ætate, ita & nunc ſaluberrimo gaudet aere locus iſte, prope quem ad M.P. occurrit *Reſina* nauium Romanarum ſtatione notiſſima, ad quam è Miſeno ſoluens Plinius ſenior, opem claſſiarijs in ea commorãtibus allaturus properabat, cùm ab ingruenti lapidum à Veſeuo eiaculatarum pluuia prohibitus ſe conuertit ad Stabias, vbi per litus maris obambulans, turbine obuolutus cinereo, haud multò poſt ab amicis exanimatus repertus eſt; hac vel vna ſorte felix, quòd tale ob mortis genus etiam à rudibus, & indoctis miſerabile eius fatum defleatur, & Veſeui flammæ, tot ciuitatum conflagratione poſthabita, ob vnum ab illis extinctum Pliniũ

ma-

magis, ac magis inclaruerint? Sed iam eò deuenimus, vt toties, & ad nauſeam memoratum Veſeuum cominus proſpiciamus. Conſulat ſeipſum hoſpes, num breue, ſed laborioſum iter ad voraginem illius conſpiciendam ſit arrepturus. Quater impunè eius cacumen conſcendi ego, ſed horrore ſemper, ac timore perculſus, nec laborioſæ profectionis dignam metam patentiſſimum illud foramen iudicaui, per quod ad Cocyti regna quodammodo patet deſcenſus, atque nimiam ob profunditatē caligant oculi, palpitat cor, artus contremiſcunt. Et quis quæſo nō trepidaret in voraginis illius crepidine, ad cuius eruptionem fluctuat natura, & ipſi orbis cardines concutiuntur? Vnū eſt quod mireris, ante ſcilicet Titi tempora, nullius eruptionis memoriam extitiſſe, licet ex ſignis Strabo deduxerit. Stra-

bo-

bonis hæc ſunt verba. *Veſeuus mons agris cinctus eſt optimis, dempto vertice, qui magna ſui parte planus, totus ſterilis eſt, adſpectu cinereus, cauernaſque oſtendens fiſtularũ plenas, & lapidum colore fuliginoſo, vtpote ab igne exeſorum, vt coniecturam facere poſſis, iſta loca quõdam arſiſſe, & crateres ignis habuiſſe, deinde materia deficiente reſtincta fuiſſe*. Vicies à prima illa, & à Dione deſcripta ſub Tito, conflagratione in flammas erupiſſe teſtatur lapis ad radices illius nuper erectus. Solemniores tamen octo fuiſſe teſtantur plerique. Primæ non abſimilis fuit nouiſſima illa in anno 1631. die decima ſexta Decembris hora noctis decima. Verùm cum decora ingenia literis illam conſignarint, oneri eadem repetendi meipſum ſponte ſubduco. Faxit interea Deus, vt quod ab amplitudine crateris, ſiue foraminis, de non timendis impoſterũ eru-

ptio-

ptionibus philoſophantur, ni ve-
riùs ſibi blandiuntur Neapolita-
ni,bonis, (vt illis ex corde depre
cor) eueniat auibus : ſiquidem
anno 1660. & flammas euome-
re, & lapides de nouo vibrare
experti ſumus. Quin mihi Be-
neuento Neapolim tunc tem-
poris aduentanti, non vno in
loco obuij fuere igniti lapides,
& parum abfuit, quin de ferali-
bus Veſeui eruptionibus pluſ-
quam teſtis oculatus deponerē.
Sed Veſeui topographiam aggre
diamur;expedit namque,vt mōs
ille, qui vel ſolo nomine terri-
tat, extra metum adeundi, lon-
ginquis populis deſcriptione ſi-
tus,& figuræ, quoad fieri poteſt,
innoteſcat. Quà latiùs Campa-
nia patet, ampla, patulaque pla-
nitie in modum pyramidis aſſur-
git, & leni cliuo ſenſim vſq; ad
eam partem, quam *Atria* appel-
lant incolæ, Veſeuus attollitur.
Strabonis, & Plinij ætate vnius
erat

erat(vt ita dicam,)capitis: nunc ab eruptionibus biceps factus, bina attollit iuga, paſſibus pluſquam mille inuicem diſſita. Iugum quod Neapolim ſpectat,ab adiacente *Summæ* oppido *monte di Somma* dicitur. Alterum ad meridiem, & in mare proſpectans, corrupta, vt reor, Veſeui appellatione, *Vebolo* nominatur, aut ad diſcrimen alterius, *montagna rotonda*, eò quòd hæc pars circularem rotunditatem referat, illa vero in pyramidalē apicem tenuetur. Ab huius radicibus manat aqua *la Volla* dicta, quæ in duos alueos diſcurrens, hinc decantati Sebethi nomē accepit, inde aquā,quæ vulgò dicitur *lo formale* Neapolim potandam tranſmittit. Ante nouiſſimum incēdium *Vebolus* eminebat *Monti Summæ* paſſibus geometricis triginta; nunc, veluti cladis illatæ pœnas luens, capite mutilatus ad paſſus 245. decre-

creuit, & in dies decreſcit, ab alto nempe in profundum voraginis excſa ruente materia. Quã cultus olim, tam modò vndiq; ſqualet,nec niſi cinereos ſulcos, hiatus horrendos, bituminoſas glebas, & igne decoctos lapides oſtentat. Veholum terminat immanis vorago ad III, M.P. in ambitu patens, è qua, veluti ex furentis naturæ officina, tot tantaque incendia, Campaniæ nedum, ſed tranſmarinis regionibus vltimã vaſtitatum cõminantia, proſiliere. Alibi,nec vno in loco lùdit natura, & benignos vbique ſuos in mortales expromit effectus, hìc vbi pientiſſimæ matris exuens nomen, effréna elementorum odia in orbis deſolationem congregare videtur. Alibi viſcera pandit, vel vt theſauros expromat, vel vt benigna medicantis vices ſuſtineat,at hìc adeo ſecretorum zelatrix, vt eorumdem inueſtigatorem Pliniũ

oppreſ-

oppreſſerit. Sed iterum ad voraginem, quæ à crepidine perpẽdiculariter ad paſſus octingẽtos æqualem ſeruat profunditatem. Area in imo ſpatioſiſſima, omnique ex parte ambitum ſuperioris crepidinis exæquans. Illius è medio mons aſsurgit cinereus aſſiduum fumum emittens. Acephalus eſt, cùm aliam, ſed longè minorem voraginem contineat, cuius tamen profunditas, nec metiri, nec videri poteſt. Aſſiduus ex imo in altum attollitur fumus, qui raro ad crepidinem ſuperioris voraginis pertingit; hinc mixti cum fumo cineres in eum è quo elati ſunt locum recidentes, montem illum paruum, & acephalum in medio areæ inferioris efformant. Albicantes, nigricantes, ac rubentes lapides hinc inde ſparſi, quemadmodum & cinis multicolor dorſum montis operiens, non vnius mineralis exuſtionem

ſe-

feralium eruptionum cauſam eſſe conuincunt. Præualet tamen ſulphur, à cuius fœtore adeuntes curioſi plus æquo interdum caſtigati recedunt. Ex ſitu, & forma, ſicuti etiam, quòd à cæteris Campaniæ montibus ſit diſcretus, philoſophantur nõnulli à ſuiſmet incendijs fuiſſe productum Veſeuum: præſertim, cum nõ lapideus (vt malè putant nonnulli) ſed cinereus totus, etiam in meditullio, conſpiciatur. Mihi ſane arridet hoc placitum, cui non contemnendæ authoritatis teſtimoniũ profero, conſimilem ſcilicet in agro Puteolano montem, auorũ noſtrorum memoria vnius noctis ſpatio efformatum. Sanè, ſi quandoque inter exundantem aquarum Oceani colluuiem inſulæ emerſerunt, quin, & vbi lacus extabat Lucrinus, nouus ille mons apparuit, quid vetat credere, ex terreſtri planitie, cine-

nereum mõtem vi terremotuũ, aut violentia ignium attolli potuiſſe? Ne quæſo temeritatis notam incurrat ille, qui Veſeuum ſuimet productorem (& quis ſcit an aliquãdo deſtructorem?) agnouerit. Vt vt productus fuerit, quia æque periculoſum accedere, ac philoſophari prope Veſeuum ſuo exemplo oſtendit Plinius, vltrò feralem hanc vaſtitatum officinã ab oculis ſubmouentes, quàm celeriter ad Sebethi ripas contendamus, cuius aquarum ſuſurro mea excitata muſa, ſepoſitum ad terga Veſeuum metricè ſic contemplatur.

Tramite qui recto nũc fumus in æthera fertur
Phœbaas tentans obtenebrare faces,
Multicolorq; cinis ſparſus fœcunda per arua,
Num tandem terris vltima fata parant?
Flammiuomi hæc ſunt cõcipientis ſigna Veſeui.
Aſſueti adſtantes igne vorare plagas,
Tempore ſi læto geſtit ſic teter haberi.
Dũ parit, & quatitur, dic mihi, qualis erit?

Inter Reſinam, & Sebethum

Leu-

Leucopetra, Portici,& alię quã-plurimæ Procerum Neapolitanorum villæ cõtinuatum quoddam per quatuor milliaria efformant ſuburbium. Hoc in tractu celeberrima illa domus, vulgò *lo Sguazzaturo* ſita eſt, in qua inuictiſſimus Carolus V. ex Africa tunc victor aduentans per aliquot dies ſubſtitit, vt Tunetani Triumphi pompam à Neapolitanis excogitatam, perficiendam relinqueret. Illam tamen à Veſeuiano incendio ſemiobrutam nunc adſpicies: nec ob aliud, quàm quod Europæ domitorẽ intus habuerit, ſuſpiciẽdam. Vallatum mœnibus cemęterium ad maris litus prope pontem ſequitur, in quod ſupplicio vltimo damnatorum cadauera, populo refertiſſima Neapolis non parcè tranſmittit. Iam pontem, Magdalenæ, vt vocant, calcabis, longitudine potius, & latitudine, quàm quod ſubterlaben-

tes

tes Sebethi aquas ſuis conculcet arcubus, ſuperbum. Per hunc ſuſpẽdio affectorum deferri cadauera, vt ponè radices Veſeui tumularentur, cum aduertiſſem, eius inanem longitudinem ſic perſtrinxi.

Si vetus hunc pontem noui ſſet fabula, fortè
Ipſum Acheronteis impoſuiſſet aquis.

In gloriam tamen Sebethi, inanis, & ad pompam potius excogitata, huius pontis cedat ſtructura; Si quidem ars ipſa Sebethi exilitati compatiens, magnifico ponte præſtitit, quod parcè nimium ſubminiſtrando aquas, illi denegauit natura: Aquarũ tamen ſuarum pauperie contentus incedit Sebethus, & vatum ſuorum gloria ſuperbiens, tacito ſic alloquitur prætereuntes ſuſurro.

Non mihi Belga Moſã, Rhenũ Germanus, & Iſtrum,
Aut Ligerim, aut Rhodanũ Gallus in aſtra ferat.
Auriferũq; Tagũ diues ne iactet Iberus,
Inſuber celerem linquat abire Padum.

Nec tumidi incedāt, vaſto quòd gurgite verſēt
Nilus, & Euphrates, Tigris, & Indus aquas.
Nāq; Sebethus ego, quāuis pauperrimus vndis,
Muſarum dono tranſtuli in aſtra caput.
Huc etenim migrans Muſis comitatus Apollo,
Caſtalijs lymphas prætulit ille meas.

Ponte emenſo, ſtatìm Equile Regium obuium erit, ab Aragonenſibus Regibus iampridem conditum, quà laxitate, quà Equorum numero, Regno, in procreandis equis nullo ſecũdo, reſpondens. Hìc Neapolitana Nobilitas, generoſitatis inſitæ, vel ab ipſa pubertate, prçclaro equitandi exercitio primitias quotidie pendit, vt iam Hiſpania, Equorum ſuorum velocitate, aut antiquata, ni veriùs inter fabulas relata, hoc vnum Equile, Regi, ac ſuo ſplendori reſeruet.

Quod ſequitur ſuburbium, à Templo Diuç Mariç Lauretanæ Sacro, *Borgo di Loreto* indigitatur. Ponè illud domus adiacet perampla, in qua trecenteni ex ſelectiori plebe parentibus orbi

per

per omnium virtutum genera, diriguntur, vt inde hoſpiti, mox Neap. ingreſſuro, pateat, qualia in ipſo vrbis meditullio religionis, ac pietatis opera exerceantur.

En iterum ad mœnia vrbis Neapolitanæ conſiſtimus. Turres ex quadrato lapide, quæ ab hac depreſſiori in altiorem partem illam concludunt, Ferdinādus primus Aragoneus excitauit, nomine vnicuique illarum impoſito, vt videre eſt in lapidibus marmoreis in anteriori parte impactis. Sed iam diu oculis delibatam Neapolim ingrediamur, illamque pro huius litoralis deſcriptionis meta agnoſcamus. Ineat itaque illam hoſpes: vrbem proculdubio inſpecturus, quæ amplitudine, & amœnitate ſitus, populi frequentia, magnatum numero, ac ædificiorum elegantia, inter præcipuas orbis meritò adnumeratur, &

antiquæ Romæ inſtar, longinquos populos in ſui aduocat admirationem. Verùm antequam tantæ vrbis tecta ſubeat, Sirenem caput ab vndis attollentē, & carmine lamentabili, vrbis à ſe fundatæ antiquatum nomen ingemiſcentem, auſcultet.

Dum caput æquoreis Siren attolleret vndis,
Pallenti tales edidit ore ſonos.
Huccine tempus edax iram protendere nouit,
Aerea, vt rabido nomina dente voret?
Parthenope, heu, nomen quasnã cõceſſit in oras?
Cur illud ciues deſeruere mei?
Iam meritò pereant regna, vrbes, ãpla theatra,
Tempore ſi tandem nomina, & ipſa cadunt.

COE-

COELESTINI
GVICCIARDINI

Vrbis Neapolitanæ de-ſcriptio.

QVid mihi reginam Vrbium, Romam, olim catenantem reges, orbemque propemodũ omnem ſubigentem, incolendã proponitis, ſi vel vnica Tyberis alluuione, quidquid ad vnius vrbis pulchritudinem inuexerat orbis, damno inæſtimabili deperditur, & fœdatur; vt iam verè dici poſſit, Romam de ſubacto orbe ſemel, millies Tyberim de ſubacta Roma reportaſſe triumphum. Illud maris, ni veriùs, orbis miraculum Venetiæ, nonne quos in ſui admirationẽ è longinquo attraxere, protinus

in paucos dies, nauſeante iam domicilio, pari feſtinatione ſubducunt, ac repellunt? Lutetiæ Pariſiorum illudmet in nomine præferunt,quod fœdè nimis obambulātium pedibus obtrudūt; luti ſcilicet non contemnendā copiam, vt miſſas faciamus aeris inconſtantiam, & victus caritatem. Nimio riget algore Londinum, ſicuti, & æſtu prævalido ſuos torret habitatores Olyſſipo, Decantatam Bizantij amœnitatem efferata Turcarū barbaries inuertit, adeout fortunatiſſimum quondam ſolum, nunc officina ſit immanitatum, & adeuntium oculos ad lacrymas potius. quàm ad oblectamentum inuitet. Sola Neapolis eſt, quæ inconcuſſa amœnitate ſitus, clementia cœli,& fertilitate ſoli, quidquid inter alias vrbes partitum eſt, fortunatiſſimo compendio complectitur,& ſuorum fundatorum iudicium com-

commendat. Suſpiciant, iactétque recentiores, tanquam artis miracula, Tuſculanos ſeceſſus, ſanè ad vnius plagæ Neapolitanæ proſpectum elangueſcet immanis ille faſtus, qui non ab amœnitate: ſed à pretio admirationem extorquet. Quid in litorali Campaniæ ora prominet, aut incuruatur, quòd, architectante natura, non admirentur exteri, prætereuntes non reuereantur? Hìc, nullo diſpendio æquè ſpatiantur diues, & pauper, & ſi natura ignitis terriculamentis prompta in amœniſſimæ regionis excidiũ videri poſſit, ſuos tamen terrores in miſerorum ſolamen, ac medelam contorquet: dum, vel calentibus antris, vel mineralibus aquis in morborum perniciẽ viſcera pandit, & miſellos grãtiosè admittit, fouet, & ſanat. In ſolitudinem verſæ ſunt Baiæ; at nõ immemor ſui ipſius natura,

quod olim eo in loco præſtitit Romanorum proceribus, nunc Neapolitanis Dynaſtis vltrò ſub amœniſſimo Pauſilypi colle, conceſſit: impunè ſcilicet toto anni tempore exſpatiari. Hic nāque, velut in naturę obſequium, ſilent venti, immobile perſtat æquor, & ſuos radios, vel in ipſis meridianis æſtiuis compeſcit Phœbus. At quid in his aggerandis tempus inſumo, cum ea ſit Neapolitanæ vrbis totum per orbem fama, vt, vel Diui Paulini tempore, pulchritudinis titulo inſignita decātaretur? Hāc, & exteri ſcriptores ſummis laudibus extulerunt, & quotquot itineraria, aut tabulas geographicas concinnarunt, tanquam vnicè florentem inter bellorum ſtrepitus, & æui malignitatem, adeundam propoſuerunt. Et quidem, rara admodum felicitate, huic vrbi contigit, inter labātes cæterarum vrbium fortunas, & ef-

& efferatas in eam Veſeui eruptiones, populareſque tumultus vigorem, amplitudinemque auſpicari, adeout, quod alijs vrbibus in perniciem, atque exitium verti ſolet, huic in bonũ videatur ceſſiſſe. Quam mihi, quæſo, vrbem dabis, quæ perenni felicitate à Romani imperij caſu, jnter tot, tantaſq; Barbarorum irruptiones, ſplendorem priſcum, nedum non diminutum, ſed & auctum oſtentet, præter vnam Neapolim? Cecidere Cumæ, ad nihilum redacta eſt Capua, ſolo ferè nomine innoteſcit Tarentum, & præclariſſimarum vrbium, quæ, florente Romanorum fortuna, hoc in Italiæ tractu, Neapolim, aut ex æquabant, aut ſuperabant, nedum rudera non viſuntur, ſed earum certus locus, ſituſq; ignoratur.

Fortuna itaque, ac natura in vnius vrbis fęlicitate adaugenda certantibus, quid mirum ſi ad

eam nunc magnitudinem deuenerit Neapolis, vt, vna Lutetia, excepta, omnes Europæ vrbes, & populi, & optimatum numero, & opibus, & delicijs antecellat? Et quidem, quonam in loco tot ex ordine equeſtri cõueniunt proceres, qui, vel ſoli, plurimarum vrbium, ne dicam regnorum, nobilitatem, numero, & præſtantia ſuperent, & in ſublimitate inceſſus, magnos quãdoque eludant Principes? Ad mille interdũ inuenti ſunt Neapoli, qui Principatus, Ducatus, Marchionatus, & Comitatus titulo condecorati aulam Proregis Neapolitani ſummis Imperatoribus inuidendam conſtituerint; ciuibus interim, & exteris ſtupentibus, tot inter magnates, mutuam comitatem, ac familiaritatem eo eſſe in loco, vt titulorum faſtu, & excellentioris dominationis, aut muneris dignitate poſthabitis, illuſtrior

non

non dedignetur inferioris con-ſortium, neque hic illius gradũ, aut fortunam inuido auerſetur obtutu. Quis deinde Equite Neapolitano generoſior, ſiue arma ſint tractanda, ſiue alienis indigentijs ſit occurrendũ? Verùm, id quod Proceres Neapolitanos cæteris nationibus obſeruandos, ni, & inuidendos proponit, eſt illa in diſſidijs cõponendis facilitas, & omnis exinde liuoris obliuio; vt mireris eodem temporis momento in irã, & ad euaginandum gladiũ præcipitem, mox in hoſtis oſcula procurrere, ac ſi in vagina ferrũ ſimul, & odium conſepeliantur. At, Deus bone, quæ incolarum frequentia! Hominum quadragenas myriades per trimeſtre epidemica lues nuper abſumpſit; ſed quò tam dirum excidiũ dignoſci queat, vix vllum apparet veſtigium: adeo in extinctorum defectum conterminæ, &

 lon-

longinquę nationes aduolauere, vt iam per vias, per fora, per tẽpla, eadem, quæ ante luem, populi frequentia comperiatur. Quid verò de ædificiorum tam publicorum, quàm priuatorũ ſtructura iam referam? Vix habẽt boni rerum ęſtimatores, quo plebeias ab optimatum domibus forinſecus dijudicent: vt non ineptè, quis dicere poſſit, Cæteras vrbes varia, ac plurima oſtentare palatia, Neapolim verò, ob æqualem quàqua verſum domorum altitudinem, vnicũ, & continuatum ſibi ipſi eſſe palatium. Nullam equidem adſpicies domum, quæ quaternis, ad minus, non aſſurgat contignationibus: vitreis promiſcuè ex imo ad ſuperiora affulgentibus ſpecularibus. Viæ ex quadratis ſilicibus vndequaque ſunt conſtratæ; quo euenit, ut æquè puluis, & lutum nullo abigãtur negotio, & curſu citatiori rhe-

dæ,

dæ, currus, & plauſtra hinc inde diſcurrant. Rhedarum verò numerum, quis recenſebit? Ad ſena millia olim adnumeratas pro comperto habeo: nunc percrebuiſſe, & eorum frequens occurſus, & in dies adaucta pompa, & luxus euincunt; Num poſtea plus incommodi, an admirationis afferant, ijs, qui iter expeditum meditantur per vrbem, diſcutiendum relinquo. Habitãtium numero, par nedũ, ſed excedens opificum, ac ſellulariorum videtur copia, cum non ſibi ſolæ, ſed toti Regno, & omni ferè Italiæ, tum ſerica, tum lanea, & odorantia, ac ſaccaro condita opificia, Neapolis ſubminiſtret. Verùm, quod Neapolitanam vrbem in dies adauget, exundans eſt rerum comeſtibilium copia. Credent illi tãtùm qui viderint, quàm vili pretio in ciuitate populo refertiſſima cuncta proſtent, ac venum-

den-

dentur. Non vnum in ea forum Olitorium, aut Boarium, aut Piſcarium, ſed tot, eaque omnigenis referta eſculentis, quot regiones vrbis numerantur. Nec quia, plus ęquo interdum, aquea potione oblectentur Neapolitani, hinc læditur Bacchus, quò minus vina pretioſiſſima, eaque vbertim, illis ſubminiſtret. Miraberis. quot modis potantium guſtui ſe adaptet Lyeus ille pater. Nunc (fas ſit dicere) loquitur græcè, nunc in lacrymas effuſus, lætiores ſuos facit commilitones aſſurgere. Sed eſto, hæc duo vini genera (Græcum videlicet, & lacryma) pretioſiſſima ſint, & Neapoli ſuburbana: alia tamen quamplurima exprimũtur, quæ, vel à generoſitate, vel à ſuauitate commendantur. Videre erit eodem in prædio, quin in anguſtiſſimo agello, tot liquorum genera exprimi, qui varietate, coloris; & saporis, figuras, & nomi-

mina, quibus Bacchum expreſſit, & appellauit antiquitas, adęquent. In dorſo, & ad radices Veſeui, præter vina Græca, & lacrymas, exprimūtur *le Mangiaguerre*, *code di Cauallo. Malateſta, Chiarelli, Guarnaccie*, & alia, quæ forſan ob inſitam fumoſitatem, minori ſunt in pretio. Sed quid de agri Nolani vino, vulgo Vernotico, dicam? Num Falerno exæquabo? Forſan ſic erit. In exterorum itaque gratiam cōcinnata ſint hęc vini pręconia; Neapolitanis ſiquidem potiores in delicijs ſunt aquæ: nec immerito: adeo enim leues ſunt, & permeabiles, vt, vel ipſis, quibus aquea potio eſt exoſa non inſuaues, quin appetibiles, reddantur. Inter omnes tamen præſtantior habetur illa, quam vocant *de lo formale*, quæ arcuatis fornicibus per IV. M.P. in vrbem inuecta, per cuniculos deinde lateritios in vnamquamque domum, tam

in

in depreſſiori, quàm in altiori vrbis parte, magno ſane ſumptu, ſed maiori ciuium oblectamento deducitur: quo euenit, vt tali (fas ſit dicere) labyrinto ſuperimpoſita Neapolis nequaquam terremotibus ſit obnoxia. Sunt, qui cuniculorum dimenſis tramitibus, ad quadraginta M.P. eorum anfractuoſum iter extendi congeſſerint, nec ineptè humani corporis venis adſimilarint. Verùm, hæc, & alia ſint, quæ in terris celebrem, quin inuidendam Neapolim reddant, longè tamen maiora ſunt ea, quæ ipſis Cœlitibus ſuſpiciendã, ac diligendam conſtituunt. Ipſa in ſuperos obſeruantia ſtupet, hæret religio, immobilis perſtat pietas, dum Templorum numerum, accuratam in ijs lithurgiam contemplatur. Quot virorum, ac mulierum, vna Neapolis, ſuo fouet in ſinu cœnobia? Incredibilis forſan eorum poſſet
vi-

videri multitudo, ni hæc à magnificentia, & ab elegantia ſuperaretur: adeout illa ingredientibus, ſtupor, ac pietas certatim occurrant, Sed quid de ſacra ſupellectili dicam? Quidquid ſerici, quidquid, vel aurei, vel argentei totius Italiæ exponunt Eccleſiæ cōgeratur in vnū, ab vnius profectò Neapolitanæ vrbis Eccleſijs exæquabitur, ni, & ſuperabitur. Aurata lacunaria: pretioſis lapidibus ſegmentata pauimenta: auro opereq; Phrygio contexta aulæa eò iã deuenere, vt minimo habeantur in pretio; ſic vnoquoque in tẽplo noua excogitantur in dies ornamenta, ab vnius tantùm populi Neapolitani pietate promanantia. Nec mirum. Adeo enim ſemper hac in vrbe effloruit religionis cultus, vt ab ipſis Chriſtianæ religionis primordijs, qualis inpoſterum eſſet futura, non vnum ſpecimen præſe

tu-

tulerit. Adueniens ſiquidem Apoſtolorum Princeps ad religionis apicem in Romana urbe collocandum, ſua condecorauit Neapolitanos præſentia, non ſemel apud ipſos ſacrum fecit, quin, & ſanctum uirum Aſpremum illis deſignauit Epiſcopū. Sæuientibus deinde quaquauerſum in Chriſtianos Imperatoribus, ut uix ullus ad latendum ſuppeteret locus, ſola Neapolis eſt reperta, in qua, nec in martyres carnificinæ exercitæ, nec rabidos exacuerit dentes perſecutio: ut monumenta eccleſiaſtica euoluenti clarum fiet. Tot tātiſque Neapolitanæ urbis prçconijs illud quoque addere poſſem, nullum aliud regnum extare, quod toties armis ſit petitū, & pro cuius poſſeſſione remotiſſimi populi dimicarint, ſicuti Neapolitanum. Northmanni, Sueui, Galli, Pannones, Aragonenſes, patrijs poſthabitis regioni-

nibus, nec à longinquitate abſterriti, nec à periculis præpediti, ſummis concertationibus nobiliſſimi regni poſſeſſionem, aut ſibi uindicarunt, aut inuicem ademerunt. Quod quidem in laudem cedit Neapolitanorum; dum eorum, ut ſic loquar, pulcherrima Helena perſæpe non unum, ſed plures eodem tempore habuit Parides, aut amantes, aut raptores.

His, quamuis pro dignitate ampliſſimæ, & ab infantia uſq; prȩclariſſimæ urbis prȩſſius fortaſſe, quàm par eſt, prænotatis, topographicam eius deſcriptionem aggrediamur. In ea Crateris parte, quæ meridiem ſpectat, inter litus maris, & humiles colles, ſinuoſis nunc receſſibus, nunc productis in æquore molibus, continuato tamen ædificiorum proſpectu, ſita eſt Neapolis. Eam Cumani primùm, nomine ab una Sirenũ Parthe-

no-

nope ibi condita auſpicato, ædificauere; nec multo poſt, eoſdē, & euerſores experta eſt. Verùm oraculi monitu ab eiſdem reædificari iuſſa, nouum quoque nomen, Neapolis ſcilicet, ſortita eſt. Legibus, ac religione Græcorum diu vixit, Romanis ſemper, aut fœderata, aut amica. Annibalem eam intercipere meditãtem non ſemel eluſit. Verùm ad Romani imperij caſum, cum alijs huius tractus vrbibus calamitates habuit cõmunes. A Gòthis capta, à Longobardis diuexata, ſub Græcorum tamen imperio, mixto quodam regimine, nec totam ſeruitutem, nec totam libertatem agnouit. Conſules aliquãdo, Duces frequentius habuit rectores. Fuerintnè populi ſuffragio, an Imperatorum delectu promoti, affirmare non audeo. Northmanni fuere, qui ſubacta primùm Sicilia, ac pulſis, citra

Pha-

Pharum, Longobardis, Saracenis, & Græcis, nouam dominationem, quæ demum coaluit in Regnum, inuexere. Profligatis poſtea è Sicilia Gallis, veſpertinam illorum expulſionem, veluti feliciſſimum ſuę amplitudinis initium agnouit Neapolis. Sub Northmãnis etenim, & Sueuis, vtriuſque Siciliæ Metropolis erat Panormum. Andegauẽſes Reges in opera pietatis propenſi, innumeris eam templis, Noſocomijs, alijſque ædificijs condecorarunt. Aragonenſes deinde, prolato pomœrio, dilatauere. Petrus demum Toletanus ſub Carolo V. Prorex, nouis patefactis vijs; & protractis ad cliuos ædificijs, alteram veluti vrbem condere viſus eſt; nouis ſemper in dies aſſurgentibus, aut templis, aut domibus, vt non ſemel ſit cautum, noua ne condantur ædificia, ne in immenſum extenſa Neapolis, regnum vniuer-

uerſum ad ſui habitationem al-
liceret; Sed incaſſum hoc veti-
tum; adeo enim quotidie excre-
ſcit, vt altitudine domorũ elu-
datur vlterioris extenſionis edi-
ctum. Verùm eius ambitũ, nec
Archimedes inueniet: adeo ir-
regulariter huc illucque, nunc
recurua, nunc protenſa, diſcur-
rit. Trifariè hinc illam diuide-
rem, in nouam ſcilicet, in vete-
rem, & in Suburbanam: præua-
lentibus abſque dubio ſuburbijs,
numero quinque, Laureti, Diui
Antonij, Virginum, Spiritus Sã-
cti, & Plagæ Neapolitanæ; cui,
loco appendicis, ora Mergellinę,
& collis Pauſilypi adiungi poſ-
ſunt. Nouæ, & veteris ambitus,
ſeptenis milliaribus circumduci-
tur. A porta, vulgò *del Carmine*,
vſque ad aliam Sancti Ianuarij
indigitatam, nobilis, & elegans
murorum ſtructura, turribus ex
lapide ſiliceo interiectis, excur-
rit, ab Aragonenſibus Regibus,
pro-

prout illorum temporum munitiones exigebant, excitata. Quod ad eam, omni ex parte, concludendam deſiderabatur, Toletanus abſoluit. Verùm, ſuburbijs in dies excreſcentibus, cum ciuili, ſuburbana habitatio confuſa eſt, nec mœnibus vlteriùs, nec portis conſultum, noctu diùque vltrò citroque commeantibus, patefactis. A ponte, vt vocant, Magdalenæ ad Pauſilypi promontorium maxima illius eſt longitudo, ad VIII. M. P. procurrens; non tamen æquabilis illi latitudo, collibus à tergo obſiſtentibus. In viginti, & nouem regiones, quas *Octinas* vocant, partitur. Nobiles, quemadmodum prærogatiuis, ſic, & habitationibus, à plebis ſegregãntur colluuie; quod rarò alibi obſeruabis. Noua ciuitas, maiori ex parte, in Hiſpanorum ceſſit domicilium. Veteris meditulium obtinent Nobiles, inferior verò

pars,

pars. & quæ maris litori contermina eſt, minutæ plebis eſt receptaculum. Tres in ea arces munitiſſimæ, vel ab Andegauẽſium Regum temporibus excitatæ, quas tamen Hiſpani, nouo munitionis genere, obfirmarũt. Quartam, poſt populares tumultus addidit Innicus de Gueuara, Comes de Ognatte, & Prorex, eo in loco, vbi etiamnum dicitur *Torrione del Carmine*. Portum habet peramplum, ſed, flantibus Auſtris, parum tutum. Habitatorum numerus, magna licet ex parte ob luem epidemicam ſit diminutus, trecenta tamen millia, dum hæc ſcribo, inuenitur excedere; prioris populationis ſpe in dies affulgente. Eccleſiarum, Cœnobiorum, tum mulierum, tum virorum, nec qui de ijs conſultò ſcripſere, numerum ſunt aſſequuti.

Sed iam hoſpitem per loca vrbis præcipua deducamus, cui in limi-

limine Portæ, quæ Capuam ducit, occurro. Hæc inter omnes, quas vſquam viderim, & ſtructuræ elegantia, & amplitudine, primatum tenet. Eam Alphonſus primus Aragoneus aperuit, & Ferdinandus eius filius perfecit. Marmorea eſt; & raro ſculpturæ artificio, ad ſeptuaginta vlnas attollitur. Per hanc inuectus Carolus V. Africanum egit triumphum, nec alio, quàm propriæ pulchritudinis condecorata ornamento, inuictiſſimũ excepit Imperatorem; vnica Sebethi fluuij ſtatua appoſita, è qua vulgatum illud pendebat monoſtichon.

Nunc meritò Eridanus, Nilus mihi cedat, & Indus.

Amplum, & elegans Portæ adiacet templum, Diuæ Catharinæ Sacrum, & ex eo quia ſuauiſſima *Formalis*, vt vocant, aqua primùm in vrbem erumpat, & per cuniculos diſtribui incipiat

à Formelo nuncupatum . Quo verò apud cæteras nationes , ob nimium aquæ potum, excuſentur Neapolitani , eam quo poſſum metro, efferre non abnuo .

Quid mihi Niliacã plauſu diffunditis vndã ,
Stragibus aſſuetam commaculare ſolum ?
Torrida quin gradiẽs Phœbus per ſigna Leonis,
Aegyptus ſitiens tunc magis horret aquas ?
At fluit hæc placidè, & fertur per cõcaua ver-
Vtq; ſitim ſedet, nectit in vrbe moras, (nãs,
In mare ſe Nilus ſeptena per oſtia voluit .
Permeat hæc vrbem mille retorta locis :
Illa cadit ſtrepitu veloxq; per arua recurrit :
Hæc lentè incedit , ſæpe retorta ſilet .
Illa , ſuperfuſo ſuccreſcit in arua meatu :
Conſtricta hæc riuis ſemiſepulta fluit .
Sæuos illa fouet piſces, & monſtra recondit :
Creditur hìc Nimphas delituiſſe diu .
Ergo vel Aegyptus proprijs mergatur in vndis,
Aut cedens noſtram Nilus adoret aquam .

Adiacens cœnobium incolũt PP. Dominicani , qui Aromatariam , & Muſæum oſtendunt . Hinc area ſe ſe offert ſpatioſiſſima , in qua hinc inde Caracciolorum domus prominent. Ducis tamen Caſtri Sangri , ex eadem gente , enitet Palatium ; Henrici

ci Guiſij,inter populares tumultus, domicilium. Muſæum, pictuuris, & argenteis tabulis, variiſque opificijs ſumptuosè refertum ne pretermittat hoſpes. E regione, templum Diui Ioannis, vt vocant, ad Carbonariã, aſſurgit: Ladislai Regis Sepulchro, famoſum; quod Pontanus, & Sannazarius verſibus exornarunt. Caracciolorum itidem Sacella, in quibns, multi, eximijs ſtatuis ornati viſuntur tumuli,inter quos Sergianni Caraccioli, Ioannæ ſecundæ quõdam amaſij, & poſtmodum illius iuſſu necati, à Laurentio Valla Epitaphio cohoneſtatus, excellit. Cœnobium, Auguſtiniani obtinent. Bibliotheca, quamplurimis manuſcriptis maiori ex parte, autographis, à Hieronymo Seripando Cardinali, ex eadem familia, huic loco legatis, inſignitur. In depreſſiori, ac ſubterranea cœno-

bij parte . veſtigia aquæductus cernuntur, per quem Totilas, Beliſſarius , Alphonſus Arago-neus, & alij obſidentes Neapolim, clam inuecti, potiti ſunt vrbe. Num hoc Neapolitanis, plùs æquo interdum aqueæ potioni indulgentibus in pœnam datū , vt idem ſcilicet oblectamenti , ac mœroris foret vehiculum ? Ludicram in re graui expono cauſam .

Ad Vrbem Neapolim .

Certiùs haud poteras aqueo deperdita potu,
Quàm per aquæductum terq; quaterq; capi.

Patentiſſima area, quæ à Diuæ Catharinæ ad hoc vſq; templum excurrit, Agon fuit , in quo ſub luce, & pace Euangelij gladiatoria carnificina inter Neapolitanos Equites exercebatur. Priuatæ namq; offenſæ, diu , altoque corde preſſæ , ſub haſtiludij ſpecie, hìc vindicari permittebantur impunè . Huius ignarus conſuetudinis, tanquā

ad

ad ludicrum ſpectaculum, aliquando ductus fuit Franciſcus Petrarca, qui vbi barbarum morem prçclariſſima in vrbe adhuc vigere animaduertit, hæc in verba excanduit. *Quid mirum, ſi quis nullo teſte, inter vmbras quid petulanter audeat, cùm luce media, inſpectantibus Regibus, ac populo, infamis ille gladiatorius ludus in Itala vrbe celebretur barbarica feritate? Illuc ego pridem, ignarus omnium, ductus ſum ad locum vrbi congruũ; quem Carbonariam vocant, non indigno vocabulo, vbi ſcilicet ad mortis incudem cruentos fabros denigrat tantorum ſcelerum officina.* Barbariem tamen hanc, Longobardorum feritate inuectam, & per tot ſæcula impunè exercitam, Caroli tertij Regis humanitas compeſcuit, & ſeuerioribus deinde legibus, qui ſequuti ſunt Reges (ab vrbe alioquin religioſiſſima,) eliminarunt. Prætoriũ magnum vulgò *la Vicaria* ob po-

puli, & Iuſdicentium frequentiam, & numerum, toto orbe notiſſimum, areæ prædictæ ſtat è regione oppoſitum. Ineat illud hoſpes, dijudicaturus, num in corpora aliquando ad Carbonariam crudelior, an in ſubſtantias fortunaſq; hominum atrocior in eo exerceatur concertatio. Ne mihi quis quæſo Areopagitarum, aut Ephorornm collegia, aut in comitijs, aut ſub roſtris ſemetipſam preſſantem Atticam, aut Romanam, obijciat plebem, vbi forum adierit Neapolitanum, in quo compreſſā litigantiū colluuiem, huc, illucque hianti, apertoque ore diſcurrētē, alterum humani generis cataclyſmum refugere crederes, ni promptius inter implicatos legum vortices inueniretur naufragium. Apum, non hominum dices examina, quæ nunc ſurſum, nunc deorſum, & ſæpius in tranſuerſum, præter

vo-

voluntatem feruntur . Hìc excitatus puluis , hìc ex ſuſurris coaleſcens murmur, hìc concertantium clamor , ex atrijs equorum nitritus , & rhedarum fragor , quin captiuorum voces, & gemitus , Diuini potiùs , & extremi , quàm humani iudicij locum , ac ſedem , ex parte , deſignant . Litigantium tamen ſorti compatiēs Toletanus Prorex, cuncta Vrbis fora hìc congeſſit. Patrimoniales Regis, Ciuiles , Feudales , & Criminales cauſæ, miro ſane ordine hìc quotidie tractantur ; ſingulis claſſibus , proprijs , vt vocant , rotis attributis . Ampliſſimum eſt ędificium, Neapolitanorum quondã Regum domicilium , & à propinqua vrbis porta , *Caſtrum Capuanæ* , vocitatum . Dabit veniã hoſpes , ſi pro dignitate loci , vix vnico prolato diſticho,quod in animo erat proferre , reticeã; ſiquidem .

Cogitur hic gracilis mea muſa relinquere ple-
Nā ſtrepitu aſſiduo ſurda redire timet.(ctrū

Haud procul à foro diſtat Tē-plum. SS. duodecim Apoſtolis dicatum, picturis, inauratione, & ſupellectili ſacra vndequaque pretioſum. A ſummo ad imum illud Ioannes Lanfrancus, rara penicilli expreſſione, illuſtrauit; adeout ingredientibus, tot ſe nobiliſſimæ artis miracula offerant, quot modis Apoſtolorum martyria ſunt expreſſa. Sacellū ex nitido marmore elaboratum adſpicitur, quod in gentilitiæ familiæ decus iampridem Aſcanius Card. Philamarinus excitauit. Tabulæ in eo muſiui operis, exquiſitiſſimo artificio elaboratę, cernuntur; ſicuti, & ſigna marmorea quamplurima, quæ conditoris magnanimitatē, & ſculptoris peritiā ęquè oſtē-tant. Illud vnum, quod ad cō-plementum reſeruatum voluit illius conditor, corporis ſcilicet

cet

cet ſui poſt mortem , aſportationem,dum hęc ſcriberem perfectum eſt. Siquidem. III.Non. Nouembris ex humanis deceſſit vigilantiſſimus Præſul, octuagenario maior. Sumptuoſum illi Patrum Theatinorum adnectitur cœnobiũ, in quo Bibliotheca, vel ex eo inſignis,quòd Torquati Taſſi autographum, Hieruſalem liberatæ, Poema, ſicuti, & quædam Sannazarij, Pontani, Ludouici Areoſti, & aliorum manuſcripta conſeruet. In ſubterraneo Oratorio, Ioannis Baptiſtæ Marini, Poetæ omniũ floridiſſimi, tumulo ſatis humili, conduntur oſſa. Manes illius,ne,audeat quiſquis muſas colit,inſalutatos præterire.

Fundere ne renuas flores,& thura,viator,
Oſſibus & cineri,quem lapis iſte tegit.
Hic etenim nedum tumulãtur buſta Marini,
Sed, cineri illacrymans, ipſa Poeſis adeſt.
Sollicitæ hũc forſan Muſæ rapuere, timentes,
Ne tandem terris alter Apollo foret.

Sanctimonialium deinde ſe-

 qui-

quitur Monaſterium, vulgò *di Donna Regina*, eo quòd Maria Caroli Secundi vxor, & Stephani Vngarorum Regis filia, illud ædificauerit, appellitatum. Eccleſia, vltra quàm credi poteſt elegans, & nitida eſt; adeout ingredientibus, hilaritas ſit pietatis præmium, & hæc hilaritatis pignus. Epiſcopium, ſiue Metropolitana Eccleſia, & Archiepiſcopales ædes è regione illius aſſurgunt. Has olim rudes, & Neapolitano Antiſtite vix dignas euertit Aſcanius Card. Philamarinus, & in eum, quem modò obtinent ſplendorem, ac laxitatem, mira temporis breuitate, redegit. Templum, Carolus I. Andegauenſis excitauit, Carolus verò II. eius filius abſoluit. Sub Alphonſo Aragoneo, ab incendio abſumptũ, pietas illico Neapolitanorum reſtituit; & ſtructuræ licet ſit Gothicæ, ab amplitudine tamẽ,

& à duplici Lacunari affabrè ex culpto, & deaurato, commendatur. Organum à Rynuccio Farneſio, Sancti Angeli Card: nuncupato inſtructum, vel ex eo ingredientium meretur obtutus, quòd obices lintei illud claudentes, Pauli Papæ tertij, Petri Aloyſij, Alexandri itidem Card. Rynuccij prædicti, & Octauij Farneſiorum effigies ad viuum, à Georgio Vaſario Aretino delineatas, exhibeant. Odeum, more antiquo, in media tẽpli parte locatur: ponè quod, thronus marmoreus, operis antiqui, Pontificalibus functionibus reſeruatus, & in quo non vnus Romanorum Pontificum aliquando ſedit, ſtat erectus. Ea eſt huius Eccleſiæ Canonicorum prerogatiua, vt nedum vſum Mithræ retineant, ſed quãdoque appellatione Canonicorum Cardinalium inſigniti reperiantur. Multa in templo illu-

ſtrium virorum obſeruantur ſepulchra. In angulo apſidis, obſoletum iampridem, ſed ab Anibale de Capua inſtauratum Innocentij IV. Romani Pontificis locatur ſepulchrum. Eodem ferè in loco, humili, & anguſto tumulo, Andreæ Pannoniæ Regis filij, & Ioannæ primæ coniugis dolo, ac laqueo necati, conduntur cineres, á pietate Franciſi Capycij, & Vrſi Minutuli, huc aſportati. Humanas viciſſitudines, ubi ex Andreæ Regis tumuli aſpectu ad mentem reuocauerit hoſpes, infeliciſſimũ Regem, veluti rediuiuum, & proprium fatum è ſepulchro expromentem, ne pigeat auſcultare.

Condita quæ paruo ſpectatis mẽbra ſepulchro,
Regibus haud parcens ſors inimica tulit.
Talia cur merui poſt mortem fata nefandam,
Abdito vt in loculo buſta locanda forent?
Extinctum forſan curarunt abdere ciues,
Ne cineri vxor adhuc inſidioſa foret,
Aurea Pannonicis crucibus, quæ lilia iunxi,

Heu

Heu, maduere nimis ſanguine tincta meo.
Quid modò regnantum caſus, morteſq; refertis,
Barbara quos ferrum truſit ab orbe manus?
Quoſq; venenatis offis tranſmiſit ad Orcum
Impia mens hominum ſollicitata metu?
Nec mihi lanificæ memoretis ſtamina Parcæ,
Cuius ad arbitrium pendula vita cadit;
Perfida nãq; uxor, laqueo, mea colla retorquẽs
Hæc oſſa, hæc ferrum, Parca ſimulq; fuit.
Aurea iam diſcant Reges contemnere ſerta,
In laqueum verti dum diadema poteſt.

Raynaldi Piſicelli, Henrici Minutuli, Alphonſi Carafæ, Alphonſi Ieſualdi, Octauij Aquauiuij, & Decij Carafæ S. R. E. Cardd; & Archiep. Neapol. corpora, hoc eodem in templo, ſicuti, & Franciſci Carbone, & Annibalis Bozzuti itidẽ Cardd. condita ſunt. Aſcanij quoque Card. Philamarini nuper vita functi, marmoreo ſub lapide, cor tumulatur, ſuper quod haud dedignati ſunt humaniſſimi hæredes, ſequentem inſcriptionem, veluti meæ erga tantum Præſulem obſeruantiæ ſignaculum, ponere.

Aſca-

Aſcanius Philamarinus
S. R. E. Presbyter Cardinalis,
Et Archiep. Neapolit.

Vt amoris feruorem, viuida ſimul, ac ardenti conſtantia, ſuam erga Spõſam quinque per luſtra excultum vel inter gelidas ſepulchri vmbras exprimeret: ſarcina corporis grauiori in Sacello à ſe cõdito apud PP. Theatinos ſepoſita, nobile cordis pignus hìc velut in ſinu dilectæ fouendum recondi iuſſit. Aſcanius Philamarinus Turris Dux, & hæres, Patrui munificentiſſimi, obſequens voluntati, tertia ab obitu die reponendum curauit. Obijt A. D. M DC LXVI. Tertio non. Nouemb. Aetatis ſuæ LXXXIII. Præſulatus verò XXV.

Caroli pariter primi Andegauenſis, Caroli Martelli eius Nepotis, & Clementiæ Rodulphi primi Auſtriaci Imperatoris filiæ, & Martelli vxoris, tribus in tumulis ſupra ianuam templi maximam aſſeruantur cineres. Multa, & alia illuſtrium virorũ ſer-

ſeruat hoc templum ſepulchra, ab antiquitate potiùs, quàm ab ornatu laudem promerentia. Subtus Aram maximam, elegãtis ſtructuræ, ab Oliuerio Carafa Card. exædificatum, ni potiùs effoſsum, cernitur Oratorium, à primæuis Chriſtianis *Confeſſio* appellitatum. Marmoreum eſt vndequaque; & marmoreis itẽ columellis ſuffultum. Sancti Ianuarij corpus, ab eodem Oliuerio, è Virgiliani Montis Monaſterio aſportatum, in eo aſſeruatur, & colitur. Poſt aram Oratorij præcipuam, Oliuerij prædicti, in orationem intenti, marmorea cernitur effigies, ad cuius baſim, illius pariter contumulantur oſſa. Sed, hæc, & alia quamplurima ſint, quæ hoc tẽplum illuſtrent ſepulchra; celebriorem nihilominus ab innumeris SS. Chriſti Martyrum, & Confeſſorum exuuijs in eo reconditis auſpicatur famã. Diuæ
Re-

Reſtitutæ Eccleſia, à Magno Conſtantino ædificata, Tēplum Archiepiſcopali adnectit palatio. Ex altera Templi parte, ſumptuoſiſſimum à Neapolitanorum pietate excitatū aſſurgit Sacellum, Deo, ac Tutelaribus Diuis Sacrum. Siue pretioſitatem, ſiue ſacra in eo incluſa ſpectes pignora, *Theſauri* appellatione iuremeritò inſignitum, dices. Hærent oculi, ipſaque ſtupet pietas: adeò, cuncta, quę in eo cernuntur, ad miraculum elaborata fulgent; vt iam non ſit ambigendum, hoc vno in loco, magnificentiam cum pietate, & vtramq; cum nitore, ac elegantia, fœdus mutuum pepigiſſe. Hæſitabis, num marmoreum, an æneum, vel denique aureum appellare debeas. Tholum, Ioannes Lanfrancus depinxit; quod reliquum eſt, Dominicus Zamperius, & ipſe celeberrimus pictor, perfecit. Loculi

per

per gyrum circumſtant, in quibus, argenteæ Patronorum ſtatuæ cuſtodiuntur, ſicuti ſupra eoſdem, aliæ æneæ, & integræ attolluntur. Vaſa argentea, cãdelabra, cæteraque ad Sacrum cultum inſeruientia, adeò affabrè; & ſine fuco elaborata ſunt, vt æquè natura cum arte, & hæc cum illa decertare videri poſſit. Sed, quid artis, aut naturę miracula ſuſpicienda propono, hìc vbi, Diui Ianuarij prodigioſa ſanguinis ebullitio, vel à longinquis populis admirationem extorquet? Lapidea erunt corda, quibus, eo cum ſanguine colliquefieri, non continget. Quot namque fuere, qui ad illum inſpectandum curioſitate allecti, horrore poſtmodum pio perculſi, in fidei, & miraculi obſequium illacrymantes procubuere? Hoc igitur in Sacello, ſanguis nedum, ſed, & caput: hoc in theca argentea, ille in vitrea am-

ampulla aſſeruatur. Ex quorum occurſu, ſi ſua in duritie ſanguis perſeueret, infauſta, & ominoſa Neapolitanis imminere, non vnico experimento comprobatum eſt. Inuicto itaque Chriſti athletæ, & iugi ſanguinis eius miraculo, carnis reſurrectionē adſtruenti, fabuloſas camœnas litare prohibui. Stupore igitur, ac affectu detentus, vt Chryſoſtomus de Roma, ſic & ego de Neapoli dicam: illam, ſcilicet, non propter antiquitatem, non propter cœli, naturæque prærogatiuas, non propter pulchritudinem, non propter amœnitatem, non propter amplitudinem, ſed, ob hoc vnum diligere, & felicem prædicare, quòd erga eam Sanctiſſimus Ianuarius, adeo beneuolus, adeo ſolers, poſt tot ſæcula dignoſcatur, vt æquè pro Chriſti amore, ac ſuorum ciuiū beneficio ſanguinem fundere

vi-

viſus ſit. Toties ſiquidem reſtincta Veſeui incendia, & fugati nõ ſemel à mœnibus barbari, pręſentiſſimam illius opem Neapolitanis adeſſe, confirmant; vnde non mirum, ſi vario temporis, & loci circuitu, Neapoli demum amantiſſimi Tutelaris exuuiæ iteratò conſederint.

Ex area, lateraliter Cathedrali adiacenti, peralta, & varijs ornata trophæis, marmorea attollitur columna, æneum, in vertice, Diui Ianuarij ſimulacrum oſtentans. Elegans *Miſericordiæ Montis*, vt vocant ædificium è regione aſſurgit, nomine, operibus, quæ in ipſo, & per ipſum exercentur, omni ex parte, reſpondens. Nobilium, quos *Capuanæ*, vocant, non longè diſtat ſedile: quò, ſicut in alia quatuor, rebus vt publicis conſulant, Patritij conueniunt. Eàdem in via, Solis olim, nunc, Regia, vocitata. PP. Congregationis Ora-

Oratorij occurrit templum, lacunari, picturis, columnis, ac Sacellis pretioſis conſpicuum. Diuo Laurentio ædes ſacræ, à Carolo primo Andegauenſi excitatæ, non procul aſſurgunt. Diui Antonij Patauini, & Diuæ Mariæ Roſarum, ſplendida ſunt in eo Sacella, lapidum varietate omnigena, compacta. Arcū, latitudinem templi exæquantis, ſicuti, & ſtatuas marmoreas in ara maxima locatas, admirabitur hoſpes. E regione Sacrarij, quatuor columellis ſuffultum, Catharinæ Alberti Auſtriaci, Romanorum Regis filiæ, & Caroli, Illuſtris dicti, vxoris attollitur ſepulchrum. In poſtica Odei parte, Caroli ſenioris Dyrrachij Ducis, & Caroli III. Neapolitanorum Regis Patris, iuſſu Ludouici Vngarorum Regis, necati, tumulantur oſſa. Item Mariæ, Caroli III. filiæ, & Roberti de Artois, & Ioannæ de Dyrra-

rachio eius coniugis à Margarita Caroli III. vxore, eodem die veneno ſublatorum, obſoleta, ac rimoſa viſuntur ſepulchra. Cœnobium incolunt Conuentuales. Bibliotheca in eo, innumeris, ac ſelectioribus voluminibus referta, à pleno lumine, & à ſitus iucunditate cōmēdatur. Hoc eodem in loco, publica totius regni comitia, vulgò *parlamenta*, habentur, & quotidie ſelectiores ex optimatibus, & Neapolitani Populi Tribunus, vt annonæ, ac vrbis ornatui conſulant, conueniunt. Egredienti, ad læuam, alta, ex quadratis lapidibus, occurret turris, è regione cuius, eo quo poſſunt modo, contra temporis edacitatem colluctantia, edito à loco Templi Caſtoris, & Polluci viſuntur rudera. Ingentes colũnæ, etſi corroſæ, amplitudinē tamen, ac pulchritudinem ædificij, veluti ex vngue Leonem de-

demonſtrant. Deiectorum Numinum perfracta buſta eodem in loco proſtant. Operis erat Corinthij; à Tiberio quodam Tharſo nauigiorum præfecto, vt inſcriptio, literis grçcis exarata, indicat, conſtructo. Siue ad ſui muneris ſecuritatem, ſiue in Numinum adnauigantibus affulgẽtium honorem condiderit, ſane, falſorum numinum cultu eliminato, noſtræ fidei Argonautis Petro ſcilicet, & Paulo, omine feliciori, pietas Chriſtianorũ illud ſacrauit; quam quidem Religionis, & cultus peripetiã, carmine ſequenti fuſiùs expendo.

Ad templũ Caſtoris, & Pollucis.

Numina vos pelagi, proprijs quis fudit ab aris,
Strauit & in fœdo ſaxea buſta loco?
Quis lapides cultos, arcus, vaſtaſq; columnas,
Audaci valuit perterebrare manu?
Quis ceſſare preces, ſuſpiria, votaq; fecit,
Quas paſſim vobis naufraga turba dabat?
Nũ liuor ſuperũ? nũ ſummi dextra Tonãtis?

Vel

Vel tempus, rabido dente vorauit opus?
Nō: etenim cunctis, quos iam ſuſpexerat orbis,
Et ſimile excidium parque ruina fuit.
Vos geminos pariter pepulit geminata propago,
Quæ nutu falſos pellit ab axe Deos.
Impauida hæc ſpernit turbā, numerūq; deorū,
Ridet & irati tela triſulca Iouis.
Corruit Alcides, confracta eſt Palladis haſta,
Perdidit & cerebrum docta Minerua ſuū.
Amplius haud ſua Mercurius mēdacia fingit,
Nec Mars vlterius bella cruenta ſerit.
Falciferi, Cybeles, Veneris, Iunonis & almæ
Diruta vbique ſolo ſplendida tēpla manēt.
Non ficta in ſuperos, vt quondā bella parātur,
Dum tonat hinc Paulus fulgurat inde Petrus.
Clauibus hic cœlū reſerat, quin æquora plātis
Intrepidus nulla comprimit arte ſenex.
Præpollens alter gladio tranſcendit in æthram,
Arcana & veri numinis inde trahit.
Solers ille, ratis clauum moderatur, & iſte
Ter maris è fundo tollit in aſtra caput.
Ergo caput, celeres, pelagi demergite lymphis,
Nauigeroq; Petro cedite iura maris
Aethereos etiā, tremebundi, linquite poſtes,
Nam raptus Paulus vertere terga iubet.
Si mare, ſi cœlum tandem ceſſiſtis vtrique;
Et veſtra in terris cedere templa decet.

Quamuis inauratione, & picturis intuentes exhilaret nitidiſſimum templum, maiorem tamen ab ipſis venerationem exi-

exigit Caietanus Thieneus, cuius cineres in eo conduntur. Nō vnum in eo pretioſum Sacellū, ſicuti, nec vnius generis ſacram Suppellectilem adſpicies. Corpus B. Andreæ Abellinatis pretioſiſſima in arcula aſſeruatum, & nitore, & pietate allicit prætereuntes. Eccleſiam, & Cœnobium incolunt Clerici Regulares Theatini, quos præter vitę ſanctimoniam, nobilitatis compendium efficit reuerendos. Lateritij ædificij immania rudera, è poſtica huius templi parte ſuperſtant. Vulgus vocat *le Anticaglie*. Amphitheatrum, cum plerifque, fuiſſe crederem, ni, attentiùs perpendenti, Theatri obueniſſet ſtructura. Non eo inficias, Neapoli, Amphitheatra extitiſſe: verùm, locus ignoratur. Itaq; pro Theatri Neapolitani ruderibus, (à Nerone olim, cantu, & ſaltationibus nobilitati,) has parietinas agnoſco,
præ-

præcjpuè, cùm & ipſi ſcriptores Neapolitani, in vicinio fuiſſe concedant. Sanctimonialium Eccleſia, Cœlorum Reginæ nomini Sacra, non procul diſtat. Lacunar in ea elegantiſſimum, & quod citra mendacium, cæteris cunctis arripiat palmam. Sancti Gaudioſi, itidem Sanctimonialium, elegans ſubſequitur Templum, in quo Protomartyris Stephani ſanguis pari veneratione, & admiratione colitur, ac obſeruatur; ſiquidem quolibet anno, in die, corporis illius inuentioni ſacra, liqueſcere cernitur. Diuæ Mariæ Gratiarum, & Agnelli Abbatis Tēpla, haud procul à Diui Gaudioſi, in loco edito, & totius vrbis ſaluberrimo, circumſtant: quibus luſtratis, ad Incurabilium, vt vocant, domum, ni potiùs, humanarum miſeriarum theatrum, deflectere poteris. Eo ſiquidem in loco, fatui coercentur, quorum, qui

mitiores, cuſtodia laxiori detinentur, fanatici ver, &ò furioſi, catenis, & fuſtigatione aſſidua recreantur; ipſa quandoq; indignante natura, dum hominum ingenuam ſpeciem, ob vnius membri læſionem, eò adductam perſæpe videt, vt pietatis ſub nomine, feritas belluina in miſeros exerceatur. Aſt, cùm nec illi, qui ſapientiores videri volunt, à ſtultorum numero expungantur; ſua vnuſquiſq; contentus portione, vbi ſtultiores hoc in loco concludi animaduerterit, tacitè, quod ſequitur diſtichon, vel ſibi, vel domui huic adaptet.

Si fatui clauſtris omnes cludantur in iſtis,
Non erit in tota; lenior vrbe locus.

Hoc in loco, nedum fatui, ſed vlceroſi, lue gallica adfecti, inphtiſim vergentes, & quotquot denique morbis tãguntur incurabilibus, recipiuntur; biſq; in hebdomada primariæ nobilitatis

tis ſamulatu recreantur ad menſam. Nubendis quoque dotem, à lupanari recedentibus velum, nobilibus egenis ſubſidiũ, pharmaca pauperibus gratis, & alijs alia ſubminiſtrat hęc domus; cuius annui redditus ad quadraginta aureorum millia computantur. Nobile ſubſequitur Diuæ Patritiæ cœnobium, cuius corpus cryſtallina in arca, auro gẽmiſque intexta, ſumptuosè ſimul & piè aſſeruatur, & colitur.

Hac vrbis parte luſtrata, in ſuburbium, quod Virginum appellitant, eſt deflectendum. Diuæ Mariæ Angelorum, edito è loco, aſſurgens templum, iure, primos meretur obtutus. Illud etenim, præter ſitus iucunditatem, ſtructura ex albicantibus, ac nigricantibus marmoribus, raro artificio, compacta, pretioſum ſimul, & vix ſine piaculo prætereundum, conſtituit.

Sanitatis, vt vocant, aliud occurret templum, cui ampliſſimum Dominicanorum adiacet, ni veriùs imminet, cœnobium. Proximo in cliuo, Auguſtinianorum, & Carmelitarum diſcalceatorum viſuntur templa, ac cœnobia, quantum, vicinitate fere coniuncta, ſic, & elegantia, atque nitore ſimilia. Capucinorum quoque non procul obueniunt ædes, in quibus eo pacto coercetur paupertas, vt ablegato faſtu, munditics, & amplitudo illas commendent. Principis *Montis Mileti* eodem in vicinio, penſile prominet palatiū, fontibus, ac viridarijs quàquauerſum obſeptum. Huius ad cliui radices, publicum adeſt gymnaſium. Nondum abſolutum eſt ſuperbiſſimum ædificium, à Lemenſium Comite, & Prorege, magnanimo auſu, ſumptuque incredibili inchoatum; cui, ſi aliquādo ſuprema imponetur

ma-

manus, haud dubito, quin Bononienſe, ac Patauinum ſuperabit. Vt vt tamen nunc eluceat, ſanè, fauſto muſarum fato ab alendis equis ad erudiendos homines translatus eſt locus iſte, adeout vera iam dici poſſit fabula, equina ſcilicet vngula effoſsū ſapientiæ fontem. A Mineruæ ſede, ſuum haud paſſa eſt Ceres procul habere domicilium, horrea ſcilicet publica, quæ vbi primùm ingreſſus fueris, non eliminatam, ſed vltrò hìc, ad patris Saturni eludendam in mortales rabiem, conſediſſe almam Cererem dices. Et, ò Deus bone, quæ tritici congeries? Num Aeolum æmulata Ceres, ſicut ille quandoque arenoſos, ſic, & ipſa triticeos montes geſtit attollere? Populi Neapolitani hęc eſt annona, è qua, terna modiorum millia ſingulos in dies ſubducuntur. Horreis prædictis Sāctimonialium imminet cœno-

 bium,

bium, & templum, vulgi appellatione, *Santo Potito* indigitatū; cui iucunditas ſitus, & ſtructuræ elegantia, pretium ſimul, & admirationem adaugent. Tarſiæ Principis, eiuſdem in collis dorſo extenduntur ædes, quas, vel ſola amplitudo commendaret, ni celeberrimarum picturarum inſtructiſſima Pinacotheca adeuntium oculos detineret. Alia, tum templa, tum cœnobia hoc in ſuburbio occurrunt, quæ, ſibi vbique ſimilis, Neapolitanorum pietas, & magnificentia, æquè ciuibus, ac exteris frequētanda propoſuit. Area hinc patet ampliſſima, aſſiduo equitandi exercitio nobilitata: qua emēſa, in vrbem, per portam, quæ ab Albano Duce conditore, Albæ nomen ſortita eſt, denuo ingrediare neceſſe eſt. Hinc, Sanctæ Agathæ Principis palatium, inde, Sapientiæ templum, patētiſſimæ viẹ latera fulciūt ſimul,

& exornant. Sãcti Petri ad Magellam Templum, vel in noſtri gratiam ingrediatur hoſpes, vt aram maximam, opere texellato fulgentem, & lacunar exquiſitiſſimis picturis condecoratũ, intueatur. Sanctimonialium quoque Eccleſiam ſub nomine Crucifixi Lucenſis appellitatã, adeundam, nitor, & elegantia ſat ſuperque inuitant.

Ioannis Iouiani Pontani elegans ædicula, Deo, ac Diuo Ioanni Euangeliſtæ, ab ipſomet viuente dicata, ſubſequitur, quã cineres eiuſdẽ Pontani, & Vxoris, & filiorum in ea conſepulti, cohoneſtant. Varia inſuper epitaphia, metro expreſſa elegantiſſimo, legi poterunt. Aſſeruatum hic iam diũ Titi Liuij Patauini brachium à S. P. Q. Patauino Antonio Panormitæ, & ab hoc, Pontano dono datum, vt ita dicam, euanuit. Vt tamen, vel ipſis obiter prætereuntibus, à li-

à literatiſſimo viro condita vi-
deretur ædicula, tabellis mar-
moreis ad parietes locatis, gra-
uiſſimas aliquot ſententias, eaq;
Pontano dignas, oculis, ac iu-
dicio omnium expoſuit. Illas
perpende. 1. *In magnis opibus, vt admodum difficile, ſic maximè pulchrum eſt, ſe ipſum continere.* 2. *In vtràq; fortuna, fortunæ ipſius memor eſto.* 3. *Serò pœnitet, quamquã citò pœnitet, qui in re dubia nimis citò decernit.* 4. *Integritate fides alitur, fide verò amicitia.* 5. *Nec temeritas ſemper felix, nec prudentia vbique tuta.* 6 *Hominem eſſe ſe haud meminit, qui nunquam iniuriarum obliuiſcitur.* 7. *Fruſtra leges prætereunt, quem non abſoluerit cõſcientia.* 8. *In omni vitæ genere primùm eſt te ipſum noſcere.* Domi-
nicanorum, eodem in vicinio,
ſunt ædes, à Carolo primo An-
degauenſi conſtructæ. Templũ,
& amplitudine, & lithurgia, &
populi frequentia percelebre
eſt.

eſt. Varia in eo Sacella, ſtatuis, ac picturis promiſcuè condecorata cernuntur. Crucifixi imago, quæ Diuum Thomam Aquinatem alloquuta eſt, magna ibidem veneratione colitur. Innumera propemodum illuſtrium virorum claudit hoc templum ſepulchra. Aragonenſium Regum corpora, in editiori Sacrarij parte circumſtant, quibus è regione, ter magni illius Piſcariæ Marchionis, locantur oſſa, à ter itidem magno Vate Ludouico Areoſto, elegantiſſimo epigrãmate cohoneſtata. Aulea funebria *coltre* à vulgo vocitata, & triplici ordine circũducta, omnem templi ambitum operiunt ſimul, & exornant.

In aula, ianuæ cœnobij contigua adeſt cathedra, è qua maximus ille ſapientiæ compendiũ, Thomas de Aquino, Caroli Andegauenſis ductus ſtipẽdio, plures per annos publicè Theolo-

giam edocuit. In Dormitorio, vt vocant, eiuſdem Sancti Doctoris cellula cernitur; quemadmodum, & in bibliotheca, varia Sācti illius Doctoris autographa manuſcripta leguntur, de cuius doctrina, quid dicā ignoro, equidem.

Non benè non poterat de Chriſto ſcribere Thomas
Cui nomen Mariæ lac, cibus, eſca fuit.

E poſtica templi parte, area eſt ſpatioſiſſima, quam, Sancti Seueri Principis, & alia *Sangrorū gentis* palatia, vndequaque occludunt. Sedile, vt vocant, *Nidi* vaſto fornice elatum, oculos rapit prætereuntium. Tramite hinc longo, quà ſurſum, quà deorſum excurrentem adſpicies viam, cui ſi vt longitudo, par & latitudo eſſet, nulla in orbe celebrior premeretur. In ea, Carafarum primaria domus ſita eſt, quam Franciſcus Carafa, ex ruderibus Amphitheatri Nolani huc aſportatis, conſtruxit. Deli-

lictum tamen, quod in venerãdam antiquitatem videri poterat perpetraſſe, eo ſaltem redémit piaculo, quòd diſtractas per vrbem ſtatuas, huius in domus aream, veluti in aſylum tranſtulit, & locauit. Aenei equi miræ magnitudis caput, muro impactum cernitur, de quo multæ, & variæ circumferuntur fabellæ. Cum Capacio reor ego, illum eumdem eſſe, qui Neptuno Equeſtri olim dicatus, & prę foribus Metropolitanæ erectus, Conradi Imperatoris iuſſu, ęneo morſu frænatus eſt, hac appoſita inſcriptione.

Hactenus effrænis, Domini nũc paret habenis,
Rex domat hũc æquus Parthenopėſis Equũ.

Quiſnam illum è loco diſiecerit, ac in fruſta redegerit, incompertum. Ex eo tamen, quòd Neptunum aliquando, & poſtmodum domitorem ſuum Conradum, cum tota Sueuorum progenie excutere viſus ſit ge-

neroſiſſimus Equus, ſæuam in eum latam à tempore ſẽtentiã, ſequenti diſticho mea perpendit muſa.

Nũ quia nõ ſemel excuſſit ſua Numina dorſo,
Dat pœnas capitis Parthenopæſis Equus?

Amplum, quod, eadem in via, ſubſequitur ædificium, Mõs eſt, vt vocant, Pietatis, in quo, ſpes, fortunæq; aſſeruãtur Neapolitanorum. Sit hoſpes ſibi ipſi oculatus teſtis, qui loci huius opulentiam, ex auditu forſan, hiperbolicam iudicauit. Congeſta pignorum multitudo, vt aurum quandoque, & opificia argentea, intuentibus vileſcant, efficit. Nec mirum. Quidquid etenim pretioſi, in opulentiſſimam ciuitatem, & ad faſtũ propenſam in dies importatur, ſi vrget neceſſitas, hunc vnum ferè in locum congeritur.

Caſinatum Monachorum, è poſtica huius ædificij parte, ſtat ad eternitatem erectum templũ,

ac

ac cœnobium. Vtrobique, multa quæ remorentur hoſpitē occurrent. Intercolumniū à Cingaro depictum, admirationem, & pium quendam intuentibus incutit horrorem. Sacrariū, Odeum, & Sanſeuerinorum Sacellum, qua picturis, qua marmoreis ſtatuis ad ſatietatem vſque ſunt referta. Non procul, elegantiſſima diuo Marcellino Sacra ſeſe offert Eccleſia, cui ferè adnectitur PP. Ieſuitarum Collegium, amplitudine, ſtructura, & omnigena ſcientiarum exercitatione famoſum. Monachorum Montis Virginis, ſicuti Dōnæ Romitæ Sanctimonialium, vt vocant, Eccleſiæ, & cœnobia, eadem in via occurrent. Harum in Eccleſia, miraculoſus Sanctiſmi Præcurſoris ſanguis aſſeruatur, quem, inter miſſarum ſolemnia, vbi eius decollationis euangelica profertur hiſtoria, ſenſim liqueſieri, non eſt, qui
non

non norit.

Penes Diui Gregorij Armeni Sanctimoniales, conſimile in altera conſimili ſanguinis vrnula obſeruatur prodigium; vt iam ſit admirationi, in ciuitate, nulla in Chriſtianos perſecutione, notata, ſub pace nihilominus Euangelij, tot prodigioſis ebullitionibus, ſanguinem Sanctorũ Martyrum quodammodo effũdi.

Hac vrbis parte, quam propriè dixeris meditullium, perluſtrata, in remotiorem conuertamus iter; eò ſcilicet, vbi inter plebeias domos, inſitæ humilitatis adhuc tenax, Cœlorum Regina, Sanctiſſimæ ſuæ Annunciationi auguſtiſſimum templum dicatum voluit. Quid de opulentiſſima domo iam referam, cuius annui redditus ad ducenta aureorum millia computantur? In eam, veluti ad pietatis aſylũ, ægri, nothi, & quicumque ope

de-

deſtituuntur humana , confugiunt . Pueri educantur; femellis , ſi nubere voluerint dos , ſin minus,caſtitatis impertitur velamen . Duplex pro ægrotis noſocomium , pro decumbentibus ſcilicet vnum , pro iam valentibus , alterum ; Quæ omnia, Aſcanij Philamarini Turris Dynaſtæ , & huius Domus, dum hæc ſcriberem , Moderatoris iuſſu , hoc tetraſthico ſupra ianuam , marmorea in tabula incidendo , perſtrinxi .

Lac pueris, dotem innuptis, velumq; pudicis,
Datq; medelam ægris hæc opulenta domus:
Hinc meritò Sacra eſt illi, quæ nupta, pudica,
Et lactans , orbis vera medéla fuit.

Pietatẽ vbi in domo,& Noſocomio, admiratus fuerit hoſpes, lithurgiam , & ornatum perſpecturus, adiacentem ingrediatur Eccleſiam . Et quæ,Deus bone, tanta , vno in templo , argenti , auri , lapidum , ſtatuarum , omnigenæque ſupellectilis copia ?

In

In ſolemnioribus diebus pretioſa quæq; exponuntur; quæ ſi intueri contigerit, huc profecto conuolaſſe affirmabis quidquid Seres, Arabes, & Perſæ tranſmittunt; dum vel ſolius aræ maximè ornatus centenis aureorum millibus penſitatur. Vmbellæ, ſiue Baldachini ænei deauratio ad maiora credenda locum dabit; adeo enim ſolidum imitatatur aurum, vt non deauratio, ſed ex laminis protenſum videri poſſit operimentum. Sic Neapolitanorum Regum, & Procerum, & Populi in Sanctiſſimam Dei genitricem obſeruantia excreuit, vt in hac locupletanda domo ſe euiſcerare pietas quodammodo ſit comperta.

Ad gradus aræ maximæ, ſimplici admodum lapide, Ioannæ ſecundæ Reginæ teguntur oſſa; vt mireris Reginam, alioquin faſtoſam, pompas in funere ſic odiſſe, vt pedibus illorum ſe prote-

ferendam vltrò permiſerit, quorum capitibus inter ludẽtis fortunæ vices, conſtanti, ac virili animo imperitauerat.

Diui Petri *ad Aram* vt vocant, ſemideiectum non procul ſubſequitur templum. Ex eo quod Apoſtolorum princeps aliquando hoc in loco ſacrum fecerit, tale ei inditum nomen affirmãt Neapolitani ſcriptores. Recta hinc via in forum magnum contenditur, vulgò *lo Mercato*. Huius nedum vrbis, ſed totius Italiæ plateas, ſua ſuperat amplitudine hæc noſtra. Quadratam refert figuram, licet longiùs, quàm latiùs aliquantiſper pateat, eàdem tamen vbique ædificiorum altitudine ſeruata. Verùm cùm minutæ plebis ſit emporium, non illi pro dignitate amplitudinis, nitor, & elegantia reſpondent. Infimæ merces, pecudes, fruges, ceteraque viliora in ea venum exponuntur. In ea,

ea, ſupplicio afficiuntur rei, & alia quamplurima vilitatem redolentia exercentur; vt inde mirum non ſit, ſi, & populares aliquãdo tumultus in ea fuerint excitati.

Hoc eodem in loco, iuſſu Caroli primi Andegauenſis, Corradinus Rex, vnà cum Auſtriæ duce capite plexus eſt. Etiam nũc vbi iñ nobiliſſimos iuuenes fuit animaduerſum, & aliquandiu eorum cadauera tumulata manſerunt, lateritia perſtat ædicula, cuius pauimentum, licet vndeqnaque ſit aridum, eo tamen in loco vbi iacuere cadauera, madefactum ſemper adſpicitur; ac ſi mater tellus, cui immaniſſimum facinus contigit operire, ſuum, quoad fieri poteſt dolorem etiamnum gemebunda teſtetur.

Ad

Ad tumulum Corradini.

Infelix iuuenis, quanam tibi fata ſuperſtant,
Dum patrium regnũ ſubdere Marte paras!
Te fugat hinc Gallus fugientẽ intercipit Aſtur,
Parthenopeq; ab equo decutit ipſa ſuo
Omina poſt hæc, quid mirũ, ſi captus ab hoſte,
Carnificis ferro victima caſa cadas?
Heu nimium completa manet ſententia vulgi,
Quod Caroli tandem mors tua vita fuit.
Hinc leges ſileant, rerum inuertatur & ordo,
Si Rex in Regem iam tenet imperium.

Carmelitarum Eccleſia, ob Dei Genitricis imaginem à populo Neapolitano pietate inenarrabili frequentata, ex infimo fori angulo, prope litus maris attollitur. Illam cum adiacenti cœnobio, Margarita Imperatrix, & obtruncati Corradini mater, poſtquam filium redemptura, è Germania aduenerat, ædificari curauit. Illius pietatem æmulatus obtrũcator Carolus, ampliſſimis latifundijs erogatis, perfecit opus. Excelſa, atque elegãs turris præ foribus adeſt. In templo, præter adoratam Sanctiſſi-

mæ Dei Genitricis imaginem, Crucifixi quoque veneratur effigies, prodigioſa capitis reclinatione; notiſſima. Etenim, vt ictum pilæ tormentariæ euitaret, caput inflexit imago illius; ad cuius nutum,& nominis prolationem, genua flectunt inferi, & terrena curuantur imperia.

Sed non multò poſt,in exploſorem (Petrum ſcilicet Alphõſi Aragonei fratrem) à numine vlciſcente eſt animaduerſum; pari ſiquidem pilæ ictu, dum tentoria obequitaret, capitis haud permiſſa reclinatione, acephalus redditus eſt. Ne verò inpoſterum plebeculæ tumultuanti, ad ſeditiones vltra pertentandas, templum illius, quę pacem mundo peperit, aſylus foret, ſano conſilio, Eccleſiam, & cœnobium præſidio valido, & propugnaculis circumuallarunt Hiſpani; quorum ſolertiã, vt nedum in garrulos, ſed & in

Dei Genitricis honorem benè-
uertatur, ipſam Dei Matrem ta-
li obfirmatā cuſtodia, ſic præte-
reuntes alloquentem audiamus.

Aurora vt ſurgens populares ante tumultus,
Sol electa velut, pulchra vti Luna fui:
Nunc me & terribilem dū milite cingor Ibero,
Vt caſtrorum aciem, quis vocitare neget?

Aliud in altero fori prædicti angulo viſitur templum, Diuo Eligio Nouiodunenſi Epiſcopo à tribus nobilibus Francis ſub Carolo I. vnà cum noſocomio pro aduenis infirmis excipiendis erectum, ac dicatum. Diuo deinde Auguſtino ædes ſacræ, & à Carolo eodem excitatæ, ſubſequuntur. In ijs, plebs, populuſque Neapolitanus perſæpe conuenit, vt ſuos eligat tribunos, & alia ad publicum ſpectātia decernat; neq; aptior ad hęc tractanda, locus; nedum ſiquidē in meditullio infimę plebis prędictæ aſſurgunt ædes, verùm meo iudicio,

Do-

Dcîti Auguſtini forſan plebs tecta frequẽtat,
Ignara vt tandem deleat inde notam.

Subiacentem vrbis partem,& quæ per litus maris extenditur, chaos veriùs appellabis; adeo ſiquidem compreſſæ ſunt domus, adeo anfractuoſæ, & anguſtæ viæ, adeo frequens minutæ plebis occurſus, vt vel ipſis ciuibus quandoque Ariadnæ opem implorare contingat. Sed quid de fabrorum ſtrepitu, vel de eſculenta vendentium clamore referam; præcipuè ſi flante Auſtro tumeſcentis maris, & fluctuum horriſonum murmur accedat? Tanta in vertigine tamen, non contemnenda cernitur diſpoſitio; viuſcuiuſq; ſcilicet artis via peculiaris, & trames. Aurificũ officinæ, & numero, & opificijs (præſertim fuſorijs) prætereuntium oculos detinebunt. Serica quoq; ars, vt cæteris antecellẽs, ſic & illam exercentium copia admirationem extorquet. Multa

ta non inelegantia ſora, quin & templa hoc in vrbis tractu obſeruantur. Diuo Petro Martyri ex Prædicatorum familia, cum adiacenti cœnobio Carolus II. Andegauenſis excitauit templũ, à regimine aliquando Diui Antonini nobilitatum. Sed demiſſiori hac vrbis parte relicta, ad ſuperiorem pedes, & obtutus conuertamus.

Itaque ad Diui Ioannis Fanum ob antiquitatem *Maggiore* appellitatum contendamus, cui ferè adnectitur nitidiſſimum *Turris Ducis* ex gente Philamarina palatium. Præter ſitus iucunditatem, atque ſtructuræ elegantiam, bibliotheca ex ſelectioribus libris inſtructa, ſicuti, & Pinacotheca picturis exquiſitiſſimis referta illud commendant. Verùm hæc & alia ſint, quæ illud hoſpiti adeũdum proponãt, ſanè cuncta paruipendet, vbi humaniſſimi Ducis, & in aduenas

pro

propenſiſſimi benignitatem, ſimul & omnigenam eruditionẽ delibauerit. Principis *Roccæ Iaſpidis* ex eadem gente haud multum diſtant ædes. Ineat illas hoſpes, varias illuſtrium pictorum tabulas, ſumma impenſa hunc in locum congeſtas, admiraturus. Sanctæ Claræ ampliſſimũ, (& quo nullum hac in vrbe maius) altera ex viæ parte, laminis plumbeis coopertum aſſurgit tẽplum. Illud Robertus Rex ędificari præcepit, & magnis redditibus locupletauit; vnde non mirum, ſi ob eam, qua erga Diuum Franciſcum obſeruantiã flagrabat, viuens in eo diu excubauerit, & tandem mortuus tumulari præceperit. Sapientiſſimi Regis ſumptuoſum cernitur poſt aram maximam ſepulchrũ, breui hac, ſed omnem laudum congeriem ſuperantem, inſcriptione notatum.

Cernite Robertum Regem virtute refertum.

Nec

Nec immeritò: etenim, vt illius in eruditos viros magnanimitatem, militare robur, ac ſedulam in pietatis opera profuſionem taceam, Sapientiſſimus, & iuſtiſſimus omnium, qui Regnum Neapolitanum moderati ſint, reputatur. Quas viri virtutes æmulata Sancia Aragonea coniux, diu à populis exulantẽ felicitatem, alternanti virtutũ exercitio, ambo reſtituere. Verùm, hoc ad tempus mortalibus conceſſum; etenim, qui ex ſanguine Andegauenſi poſtea ſubſequuti ſunt Reges, & Reginæ, in flagitia, & cædes prolapſi, paucorum annorum felicitatem, varia, ac nutanti dominatione ablegarunt. Vnde non mirum, ſi ad tanti Regis ſepulchrum procumbens, hoc quod ſequitur diſticho, regnantum virtuti, vno cum Roberto tumulatæ, nænias illacrymabundus canam.

Virtuti doleo, cui contigit, optime Regum,
Viuere te viuo, te moriente mori.

Ad læuam Roberti, marmoreo in Sepulchro, Carolus eius filius primogenitus, ob dotes animi egregias dictus illuſtris, tumulatur; prope quem, Ioannæ eius filiæ Neapolitanorum Reginæ alio in tumulo, itidem marmoreo, conduntur oſſa; è quo (ſiue illud fuerit tempus, ſiue quiuis alius) abraſa fuit inſcriptio, vt inde humanarum viciſſitudinum non ignobile poſſit argumentum deſumi. Cum etenim Ioanna virum ſuum Andream Pannoniæ Regis filium eò vſq; auuerſata eſſet, vt enecari fecerit, & mortuum inhumatum pertulerit, eàdem viri pœna mulctata, & ipſa, iugulata deceſſit; quam, etſi hæredes honeſtarint ſepulchro, titulis tamen, & epitaphio in hodiernum diem indiga iacet; vt non ineptè poſſit quis dicere.

Diſ-

D'ſpar vt his genius, diſpar ſic forma ſepul-
Ille caret tumulo,nil habet hæc tituli.(chri:

Mariæ pariter Imperatricis Conſtantinopolitanæ, Agnetis, & Clementiæ eius filiæ, eodem titulo Imperiali gaudentium,altera in apſidis parte viſuntur ſepulchra. Templi vaſtitas, ſi nō elegantia,repetitos meretur obtutus. Nullis ſuffultum columnis longè latèq; patet. Lacunari caret, quem tamen defectū, numerus, & immanitas trabium compenſat. Aſceteria duo huic adnectuntur templo, Religioſorum vnum, Sanctimonialium alterum; hac tamen diſpoſitione: vt illi ſpiritualia iſtis,hæ corporalia illis ſubminiſtrent,communem verò ſynaxim, & lithurgiam in templo habeant.Verùm ſicuti amplitudine quodammodo templum; ſic & Sanctimonialium cœnobiū laxitate turgeſcit. Virgines etenim quadringentæ in eo degunt, quarū

numero, ſi claritatem ſanguinis, & loci opulentiam ſubnectas, Aſceterium, quo nullum in orbe illuſtrius adſpexiſſe gloriaberis. Patrum Societatis Ieſu domus profeſſa, Salernitanorum Principum ex gente Sanſeuerina olim Palatium, anguſta ab hoc templo dirimitur via. Templū ingrediatur hoſpes, rationē redditurus, num peregrinationis ſuſceptæ præmium, dignaq; meta ſit, illius magnitudinem, nitorē, & elegantiam introſpexiſſe. Et quidem poſt Vaticanum, & Mediolanenſe templum, quodnam aliud præter hoc mihi proferes; in cuius admiratione oculus, menſque ſubſiſtant? Tholus, tam forinſecus, quàm intra, altitudine, & elegantia, vel à lōge proſpectantibus repetitos extorquet obtutus. Parietes, marmoreis cruſtationibus quaquauerſum fulgent. Sacella ad miraculum nitida, & lapidum varie-

rietate omnigena, fulgentia. Inaurationes adeo frequentes, & protractæ, vt non calce, ſed auro illiti fornices videantur. Statuæ, & ſigna marmorea quamplurima, inter quæ, ni fallor, coloſſæus Ieremias excellit, qui etſi marmorea immobilitate in patriæ, & gentis ſuæ excidium, manu ori admota, cogitabundus perſiſtat, eò tamen Equitis Coſmi Fanzagi ſolertia redactum eſt immane ſaxum, vt forſan

Audires gemitus, & lamentabile carmen,
Ni ſibi compreſſa clauderet ora manu.

Tholum Eques Ioannes Lanfrancus depinxit, quatuor ad angulos expreſſis, ni veriùs ſuppoſitis Euangeliſtis, quos vbi primùm adſpexeris, nedum vt religionis noſtræ fulcimenta, ſed vt penicilli miraculum veneraberis. Sacrarium, & nitore, & pretioſitate templo reſpōdet. Supellex in eo valoris propemodum infiniti, & quod plurimi fa-

cio, Virginis Mariæ tabula ab illo ter magno Annibale Caraccio depicta, aſſeruatur. In vicinio, Spiritui ſancto ædes ſacræ, & puellarum celebre aſceteriū aſſurgit. Iam in biuio aderis, quo, ſiue viarum longitudinē, ſiue latitudinem, ſiue populi, aut rhedarum huc illucque diſcurrentium frequentiam, & numerum ſpectes, nullum in tota Italia celebrius. Illud Toletanus Prorex aperuit, cuius generoſitati, & munificentiæ, ſua hęc pars vrbis debet primordia: nemora ſiquidem, & ſyluæ totum hunc tractum occupabant: vt meritò poſtea gratiſſimi ciues, ab illius nomine, Toletanam hanc appellauerint viam, qua rectà ad Proregis palatium contenditur. In altera, ampliſſimę Grauinenſium Ducis attolluntur ædes, quibus è regione templum, ac cœnobium imminet Oliuetanorum. Illud laxitas, & ma-

& magnificentia, hoc, ſtatuarū copia, & illuſtrium virorum ſepulchra commendant. Caroli de Lanoia, ob Galliarum Regis ad Ticinum capturam, Cęſarei exercitus notiſſimi ductoris, hoc in tēplo cōduntur cineres. Pompeij quoq; Card. Columnæ, & Neapolitani Proregis cineres, commune cum Lanoia habent ſepulchrum, hac tamen differentia, quod Lanoiæ cadauer etiamnum integrum, Pompeij verò, vel ipſa oſſa in puluerem à veneni violentia, quo ſublatus fuit, ſint redacta. Hominem alioquin inquietum, & cuius ob aſtum, ipſa caput orbis Roma bis depopulata fuit, neſcio cur pacificæ oliuæ proprio in ſolo perpetuò quieturū admiſerint.

Ad tumulum Pompeij Card. Colũnæ

Sanguine purpureas Tybris qui reddidit vndas
Hoc iacet in tumulo purpura & ipſe ferox.
Num priſci ſtuduit Pompeij geſta referre,
Dum toties patrio ſanguine tinxit humum?
Inter pacificas tamen ille quieſcit oliuas,
Cuius vita fuit, funera, bella, cruor.

Amalphitanorum, ex Piccolominea gente, ducum, eodem in templo obſeruandum ſeſe offert ſacellum, pluribus ſtatuis, ſepulchris, ac tabulis marmoreis vndequaq; refertum. Alio quoque in Sacello, nonnullæ ex cocto lapide ſtatuæ non ſunt prætereundæ, tum quia raro ſunt compactæ artificio, tum quia illuſtrium virorum ad viuum expreſſas repręſentent effigies. Sub Nicodemi namque, & Ioſeph ab Arimathæa iconibus, Sannazarius, & Pontanus, quemadmodum, & ſub Ioannis Euangeliſtę vultu Ferdinandus iunior Aragoneus delineati cernuntur. Elegans in cœnobio adeſt Bibliotheca, quam & librorum copia, &

& Ferdinandum ſeniorem Aragoneum, & Alphonſum eius filium ad viuum exprimentes ſtatuæ cohoneſtant.

Hinc digredienti, Diuæ Mariæ Nouæ, vt vocant occurret templum, nitore, elegantia, ac lithurgia nulli ſecundum. Illud Carolus I. Andegauenſis ſuper antiquæ arcis Neapolitanæ rudera excitauit. In Sacrario conditur Carolus Emanuel Sũmariuæ Dux, & Magni illius Caroli Menæ Ducis inter Gallicos tumultus laude bellica celeberrimi, filius. In Sacello itidem, quod Magnus Conſaluus Corduba erexit, & in quo Beati Iacobi Picæni, vulgò de *Marchia* corpus adhuc integrum ſumma colitur veneratione, duo hinc inde adſtant marmorei tumuli, Odetti Fuxij Lautrecchi, & Petri Nauarri Cantabri cineribus aſſeruandis à Ludouico Corduba, Magni Conſalui Nepote, ex-

citati. Quantum in re bellica excelluerint, quidue in obſidione Neapolitana præſtiterint hi duo præclariſſimi Duces, nemo eſt qui non norit. Caſtri Luculláni expugnationem ignitis cuniculis tentauit non ſemel Nauarrus, ſicuti,& potiundæ Neapolis,in aquarum vrbem recreantium diuerſione, eodem tẽpore ſpem omnẽ Lautrecchus repoſuit. Cæterum, machinationum diuerſitatẽ, diſpar quoque, & expeditionis, & eorum vitæ ſubſequutus eſt finis.Nedũ enim non capta Neapolis, ſed Nauarrus eodem in Caſtro ab ipſo pertentato diutinam poſt captiuitatem, veneno, & Lautrecchus proprio in tentorio à lue,per ipſum inuecta, ſublatus eſt. Vtriuſq; tamen ſorti compatiens prẹfatus Corduba, raro magnanimitatis exemplo,infenſiſſimis hoſtibus auito in Sacello, tectum vltrò impendit, & bel-

bellicæ ipſorum virtutis præconia elegãtiſſimis epitaphijs trãſmiſit ad poſteros ; quorum lectione, vbi exſatiatus fuerit hoſpes, in hoc quod ſequitur exaſtichon benignè conuertat obtutus.

Cãtaber, & Gallus recubãt hinc inde ſepulti,
Mars quibus in varia lædere ſorte dedit.
Igne ſagax primus tentat peruadere caſtra,
Vrbes vt capiat diſtrahit alter aquas.
Dira tamen Lacheſis, quæ Marte eſt fortior ipſo,
Illos in tumulo fecit adeſſe pares,

Ampliſſima, & varijs hinc inde referta palatijs ſeſe offert via, cui, pulcherrimus ex marmore fons imponit metam, quem vltrò citròque veluti inter proprias aquas nutantem à varijs Proregibus, aut translatum, aut locatum, hìc tandem conſidere fecit Prorex Medina. Ad læuã fontis, ſemiſepulta cernitur Diuæ Mariæ *Incoronatæ*, vt vocant, Eccleſia, vel ex eo ſubeunda, quod à celeberrimo illo Iotio Florentino, picturæ reſtaurato-

re, ab imo ad ſummum ſit depicta, nec vno in loco Ioannæ primę, ad viuum delineata, cernatur effigies. Iam ex patentiſſima area aſſurgētem Caſtri noui arcem in conſpectu habebis, à Carolo I. Andegauenſi excitatam, & ab Aragonenſibus poſtmodum Regibus auctam. Elegantiam, quò magnificentiùs tertium Fridericum Cæſarem hoſpitio exciperet, addidit Alphōſus primus Aragoneus. Quæ tamen forinſecus prominent propugnacula, Fridericus Aragoneus circumducere cœpit, mox Conſaluus Corduba proſequi, & tandem Petrus Toletanus abſoluenda curauit. Aragonenſium Regum hęc fuit Regia, in carnificinam tamen à Ferdinando Seniore, barbaro multorum Procerum ſupplicio aliquando conuerſa. Arcem circumluſtrare, quin & ingredi poterit hoſpes; non etenim zelo-

ty-

tvpia hac in parte laborant Hiſpani. Turrium procul dubio magnificentiam admirabitur quiſq; Quinæ ſunt, ex quadratis lapidibus in altitudinem miram ſe extollentes, & quadratam munitionem efformantes. Per pontem in eas patet acceſſus; quo traiecto porta triumphalis marmorea inuictiſſimo Alphonſo Aragoneo poſt adeptum, pacatumque regnum dicata, occurret. Obliteratum namq; triumphandi morem ille reſtituit, & quamuis nullis hoſtium ſpolijs, ſed propria virtutum gaza onuſtus, curru inſidens obambulauerit vrbem, antiquis tamen inuidendum egit triumphum. Oris ſiquidem venuſtas, & rerum ab ipſo geſtarum fama, plauſus, & acclamationes vltrò à ſubactis populis extorquebant: Neapolitanis hærentibus, num lætior ex triumpho Alphonſus, an ipſi, qui tanto Regi materiam,
triumphi

triumphandi præſtitiſſent, feliciores. Sapientiſſimo itaq; ac inuictiſſimo Alphonſo quod ſequitur diſtichon, etſi virtutibus illius celebrandis impar, mea ſacrat muſa.

Iure triumphali ornaris, Rex inclyte, Porta,
Si Reges vitijs poſſe carere doces.

Portam prædictã valuę æneæ reſerant, & occludunt. Eas, Ferdinandus Alphõſi filius, bellicis inſculptis pugnis, quas non ſemel pro conſtabilienda regni poſſeſſione feliciMarte ſubierat, artificio non contemnẽdo fundendas mandauit. Ampla deinde ſubſequitur area à regijs habitaculis circumſepta, ex qua per gradus marmoreos in aulam vaſtiſſimo fornice obductã patet aſcenſus. In ea aliquando Sanctiſſimus Pontifex Cœleſtinus V. coram Cardd. cœtu, Papatu ſe ſe vltro abdicauit. Sanctiſſimũ tamẽ virum à ſolio Petri recedentẽ fas ſit interrogare.

Pon-

Pontificũ veluti è ſolio te ſponte abeuntem
Præceſſit nullus. num qui imitetur erit

Verùm à tanti Pōtificis facto nobilitatam aulam, Ioanna ſecunda, aſſiduis choreis, & frequenti amaſiorum familiaritate conſpurcauit. Ex aula per coclidem, miro artificio, & leni gradatione aſſurgentem, in altiorem turrium partem aſcenditur. Tali è faſtigio, vt pedibus aliquantiſper indulgeat hoſpes, licita in ſe ipſum vſura, ſubiectā portus Neapolitani molem, cū impoſita lateritia pharo.poterit obſeruare. Turris quoque Sancti Vincentij, in qua olim per ſex menſes, obſidionem Galli ſuſtinuerunt, nunc inobedientes filij paternos experiuntur rigores, adſpicitur. Armamentarium pariter longè latèq; extenſum ſub oculos veniet.

E caſtro egredienti, ad læuā, Nationis Hiſpanę Diuo Iacobo Sacrum occurrit templum. Il-

lud

lud cum adiacenti Virginũ aſceterio,& Noſocomio Petrus Toletanus Prorex erigendum curauit. Templi in odeo; nobiliſſimum ex marmore extat Sepulchrum, in quo Toletani Proregis conduntur cineres. Hic eſt illemet Petrus Toletanus, qui raro diuturnitatis exemplo, Regnum hoc moderatus fuit annis fermè viginti duobus, qui quãuis ad pacē, quàm in arma propenſior, nobiliſſimis tamen in Turcas expeditionibus non ſemel irrupit, deque reportatis manubijs hortos Puteolanos inſtruxit. Legibus, arcibus, inconcuſſo iuſtitiæ,& propriæ exiſtimationis decore, regnũ vniuerſum tranquillitati, & ſecuritati addixit. Verùm, qui inter florentes annos pacem excoluerat, & bellicos ſtrepitus à proprijs abegerat finibus, ad ſenectam vergens, Senenſem expeditionem ſuſcipere coactus eſt,

in

in qua, non ſine veneni ſuſpicione, deceſſit.

Ad Sepulchrum Petri Toletani.

Conditur hic pacis cultor, moderator & æqui,
Per quem Parthenope florida in orbe nites.
Ille fora, ille vias, ponteſq; extruxit, vt vrbem
Crediderint ciues condere velle nouam.
Peruia, perdomitis Afris, ille æquora fecit,
Deque triumphatis nobile perſtat opus.
Oppoſitam validis firmauit mœnibus arcem,
Ne qua non eſſet tutus vbique locus.
Nil igitur mirum, magni ſi geſta Toleti
Peruolitans hominum fama per ora vehat.

Sancti Georgij Ianuenſis nationis: Sancti Ioannis Florentinæ, & Græcorum Eccleſiæ in vicinio circumſtant. In Toletanam viam denuo eſt peruentum, vbi refertiſſimum comeſtibilium emporium, & præcipuè fructuum, hauſtu oculorũ, vt ſic dicam, vorabis: adeo enim toto anni tempore recẽtes proſtant, vt hoc vno in loco ſuam fixiſſe ſedem Pomonam ſis dicturus. Nuntij Apoſtolici ædes eidem emporio imminent, à Ber-

Bernardino Roccio Apoſtolicę Sedis Nuntio, & Neapolitanæ Eccleſiæ, poſt obitum Philamarini Archiepiſcopi, Adminiſtratore, in nitidiſſimam formam, à fundamentis ferè, ræſtitutæ. Collegium Diui Thomæ Aquinatis à gente Dauala fundatum, & dotatum eadem in via prominet: cui è regione adſtat Mons, ad egenorum nobilium inopiã ſubleuandam, erectus. Arctè ab adminiſtratoribus cuſtoditur ſecretum, nec vlli hominum innoteſcit cuinam largitiones erogentur: ſicque neceſſitati nõ minùs, quàm egenorum decori conſulitur.

Ad triginta aureorum millia annui redditus computantur, de quibus dici poteſt, *eò fideliùs, quò ſecretiùs probantur expenſi*. Cumque affluentia ſubuentiones nõ careant, obliteratum videri poteſt vulgatum ſcõma *turpis egeſtas*.

Com-

Compreſſæ domus, quæ per montis cliuum feruntur, Lupanar efformant, quod, quia à legibus toleratur, mihi quoque dabitur veniæ, ſi, amplitudine illius attenta, inter magnifica vrbis monumenta connumerarim. E Toletana via ad Diui Martini cœnobium arduus, & tortuoſus patet aſcenſus. Itineris tamen aſperitatem mitigat frequens oculorum in ſubiectā vrbem conuerſio. Ad cliui radices, Sanctiſſimæ Trinitatis tēplum adſpicitur, cui & Sanctimonialium cœnobium iunctū eſt. Hoſpiti diſcutiendum relinquo, num, ſicuti ob ſitum cæteris templis, & cœnobijs hæc duo ſuperſtant, ſic & nitore, ac pretioſitate omnia alia ſuperēt. Hinc, quò meliùs poterit, aſcendere incipiat hoſpes; quamuis enim ardua, tamen haud longa via eſt; qua emenſa, & atrium Eccleſiæ D. Martini ingreſſus,

haud

haud dubito, quin omnino laboris, laſſitudiniſque ſit obliturus. Hunc namq; locum, veluti longiſſimarum peregrinationum metam agnouerunt, quotquot illum adire contigit. Non ars ipſa, non auri vis, non Imperatorum potentia in vnum congeret id quod hoc vno in colle nullis ſollicitata iuſſis, aut minis, gratuitò benigna impendit natura. Non Lilybeum, cæteraue promontoria, famā à proſpectu auſpicantia, humili huic colli conferre quis audeat. Ex hoc etenim nedum decantatus Crater, ſed amœniſſima totius Campaniæ felicis planities eodem ictu oculi viſum exſatiat. Hinc fumantem Veſeuum, illinc tepentes Baias, hinc Capreas, illinc Stabias, & totum Picentinorum tractum, vel vnius obtutus impēſa circumluſtrabis. Sed hæc ſint, quæ admirationem exigant, ſubiectæ nihilominus

vrbis vaſtitas, & domorum ſpiſſitudo, aſſiduuſq; æquoris fragor, & rhedarum, & populi elatum murmur, ſtuporem, ne dicam timorem, incutiet. Verbo me abſoluo. Quidquid ſcriptitaui, quidquid ſua patientia hoſpes hucuſq; perlegit, ſub oculis compendiatum adſpiciet, & conſona forſan voce in Neapolitanæ vrbis præconia ſequenti perrumpet carmine.

Iſtane Parthenope tot iam concuſſa procellis
Nauifrago in pelago, ceu peritura ratis?
Hic hæreñt oculi, & nequeñt vaga lumina gyro
Cernere compreſſas aereaſq; domos.
Aduolat huc tenui vox intercepta ſuſurro,
Alta frequẽs populus, quà procul aſtra ferit.
Innumeris ſparſum ſpectatur puppibus æquor,
Quod meritò ſimilis dicitur eſſe ſcypho.
Formoſæ hìc placidis cãtant Sirenes in vndis,
Litora dum leni murmure pulſa ſonant.
Quid modò flãmiuomi cineres, fumũq; Veſeui,
Plebis & inſanæ ſcenica geſta refers,
Graſſantemue luẽ memoras, quã, vindice cœlo,
Extinctam proprijs vidimus eſſe rogis.
Splendida iã perſtas, habitu populoq; referta,
Aſſiduè & creſcunt templa, theatra, fora:
Iãq; horti vernant, eſt reddita fontibus vnda,
Creſcit vbique Charis, fulget vbiq; nitor.

Ne

Ne trepides igitur concuſſa:immota labaſcũt,
Et quæ perpetuò ſunt agitata,manent .

Sed luxuriantis naturæ, operibus ſatis datum. Artis prodigia contemplaturi,templum, & aſceterium nunc ingrediamur. Vtrumq; incolunt Carthuſiani, quorũm rigido inſtituto, quis ſcit,an facturus antitheton, Carolus Illuſtris, amœniſſimũ hũc ſelegit locum? Penſile omni ex parte eſt ædificium, itaut non minoris ſint pretij vaſti fornices, & fulcra, quæ illud ſubſtẽtant,quàm admirationis,ea,quę ſubſtentantur. Omnia ſiquidẽ, tũ ſacra, tũ profana ad miraculum, aut exculpta, aut fabrefacta cernuntur. Templi parietes, Sacella, Lithoſtroton, Odeũ marmoreis incruſtationibus, ijſdemq; ſegmentatis fulgent. Sedilia, etſi lignea, ab excellenti tamen opificio,ſupra omnem lapidem, aut metallum ſibi ipſis pretium faciunt. Apſidem

dem Odei illuſtrat inſignis tabula celeberrimi illius Guidonis Rheni, *qui docuit formas poſſe colore loqui*. In templo denique, in Sacrario, & in Capitulo, vt vocant, adeo exquiſitiſſimis picturis, fornices, contignationes, & & parietes fulgent, vt hoc vno in loco, veluti in agonem conſcendiſſe celebriores videri poſſint pictores. Sacrarij ſupellex omnem, & pretio, & numero exuperat fidem. Armariorum artificioſiſſima, & minutiſſima texellatio, penicilli eludit ſolertiam. Feneſtræ, (ne quid ad magnificentiam deſit,) ſic concinnè ex vitreis fruſtulis ſunt compactæ, vt æquè earum elegantia, ac artificis patientia in pretio ſit habenda. Hæc omnia vbi admiratus fuerit hoſpes, nihil ſe vidiſſe affirmabit cum argentea vaſa, candelabra, ſtatuas, cruces, & alia id generis ſexcenta, nitido in conditorio aſſeruata,

in-

intueri contigerit. Inter columnium, ſiue vt vocant clauſtrū, & Cœnobiarchę habitaculum, admirationi metam imponent. Quibus omnibus perluſtratis, haud dubito, quin, magnificētia, & opulentia loci attenta, hoc quod ſequitur diſtichon nō ſemel ſit prolaturus hoſpes.

Penula, qua Chriſtū texit Martinus Egenum
Quàm benè centena multiplicatur ope!

Cœnobio Arx imminet Sācti Eraſmi. Eam primùm è rupe potius excidit, quàm à fundamētis excitauit Carolus Illuſtris; Carolus verò V. Cæſar in eam quam modo obtinet formam redegit. Denuo in Toletanam viam facili deſcēſu eſt regrediēdum, quam mare verſus terminat patentiſſima area, è qua Proregis Palatium à Lemenſiū Comite excitatum ſuperbiſſimo attollitur frontiſpicio. Opus eſt Dominici Fontanæ, Obeliſcorū translatione, ac erectione ſub Six-

Sixto V. Pont, Max. notiſſimi. Ponè hoc nouum Palatium, integrum adhuc perſtat vetus, à Petro Toletano, poſtquam omnia vrbis tribunalia in Caſtrum Capuanæ, iampridem, vt dictũ eſt, Neapolitanorum Regum domiciliũ, congeſſerat, ędificatum. Si noui palatij frontiſpicium ſpectes, nil eo in tota Italia elegantius, nil magnificentius: quod de vniuerſa ſtructura dici forſan poſſet, ni acribus initijs incæptum opus, incurioſo poſtmodum fine, (communi magnorum ædificiorum fato) protractum fuiſſet. Innicus tamen de Gueuara Comes de Ognatte, ſpatioſiſſima diducta ſcala, in ſuperiora conclauia, gradu penè fallenti, aditum patefecit. Binas quoque Aulas aperiri iuſſit, quarum vna ob fornicis amplitudinem, ac inaurationem inter omnes, quas vſquam viderim primatum tenet. Altera verò

rò expictis ad parietes Proregũ iconibus, qui Regnum Neapolitanum à Conſaluo Corduba ſub Auſtriacis moderati ſunt, Pinacothecæ potius ſibi nomen promeruit. Sacellum Regium Eccleſiaſticis functionibus, ipſo Prorege adſtante, deſtinatum Religioni, ac magnificentiæ reſpondet Hiſpanæ. Fores Palatij, milites cuſtodiunt Hiſpani, veſpertinis excubijs altera alteri cohorte ſuccedente. Proregem, Heluetiorum militia cuſtodit. Palatium ipſum, aſſidua Procerum, ac iuſdicentium multitudo frequentat, adèout, qui curarum multiplicitatem attentè perpenderit, non ſplendorem; aut faſtum Neapolitani Proregis admirabitur, ſed ablegatam potius illius collugebit libertatem.

E regjone Palatij multa aſſurgunt cœnobia, eo ferme tempore ædificata, quo hanc vrbis par-

partem nemora occupabant. Leni cliuo ab area ſe attollere incipit Collis, quem *Pizzofalcone* appellitat vulgus. Totus ferè in Hiſpanorum Procerum, aut militum ceſſit. Multa in eius dorſo viſuntur Palatia, quorum illud, quod mari imminet, ſitu, & amplitudine cæteris antefertur. Locus ad tormentarium puluerem conficiendum, conſilio ſanè prouido, hanc in vrbis partẽ remotiſſimam tranſtulit Comes de Ognatte. Potiorem etſi huius collis partem Mars occupare nitatur, voti tamen haud compos fiet, vſque dum eruditus vir Franciſcus Picchettus, Architectonices peritiſſimus ſuum inſtructiſſimum Muſæum, Mineruæ, & antiquitatis amatoribus exhibebit. Non illud quæſo prætermittant curioſi; adeo enim rara, tum aurea, tum argẽtea antiquorum numiſmata, ac artis, & naturæ prodigia obſer-

uabunt, vt prodigij quoque loco, collectoris ſolertiam ſint habituri. Ex altera areæ parte mare verſus, veſpertinis deambulationibus conſtrata via excurrit, varijs aquarum dulciũ luſibus, atque fontibus nitidiſſimis, quà mari imminet, referta. Alta ſub rupe, altera extenditur in æquor area, è qua per ſublicium pontem, ad paſſus trecentos in mare productum, in Caſtrum Lucullanum patet ingreſſus. Vt vt cautium inæqualitas permiſit, in arcis formam redactus eſt ſcopulus iſte. Lucullanam villam nonnulli, Megaræ inſulam fuiſſe autumant alij. Fuerit quod velint. A continenti, arte diuulſum humana reor ego, vt liberior in plagam Neapolitanam, per maris litus foret acceſſus. E poſtica illius parte, auorum noſtrorum memoria, Petrus Nauarrus, minarum, vt vocant, inuentor primum ſuæ inuentionis ten-

tentauit experimentum. Num in pernicioſiſſimi inuenti pœnā præclariſſimo Duci poſtea datū, vt hoc eodem in caſtro, quod occulto igne ſubuertere pertentarat, oculta quoque, & ipſe, veneni propinatione, longā poſt captiuitatem, ad mortem pertentaretur? Forſan ſic erit. Nec quia, in patriam meam Bononiam, talibus machinamentis irrumpere ſtuduerit aliquando hic idem præſtantiſſimus miles, refugit mea muſa, bellica tanti viri, eo quo poteſt metro, exarare præconia.

Ad Petrum Nauarrum.

Bellica qui toties valuit ſuperare pericla,
En vinctus tandem Martis in æde cadit.
Num quia quandoq; inſidias direxerat iſtuc,
Inſidias iſtic exigit ipſe pares?
Non: ſed cùm mors inuictū nouiſſet in armis,
Ceu timida accedens, atra venena tulit.

Iam Plagam Neapolitanam, in conſpectu habes, cuius aſpectu, nil toto in orbe iucundiùs. Semilunaris eſt formę, cui & in

ſemicirculum à tergo protracti colles, virentem pariter, & aſſiduam efformant coronam. Palatia innumera, & litus, & dorſa collium exornant. Hìc aer ſaluberrimus; hìc Floræ; hìc Pomonæ illecebræ adeo vigent, vt vel ipſe Ariſtarchus rigidum deponeret ſupercilium. Verùm, quamuis ab amœnitate potiores ſibi vindicet laudes hæc plaga, non ideo, pietas, & Religio, ſic intra vrbem ſubſtitere, quò minus inter huius ſuburbij ambitũ irrupentes, vel ob hoc vnum, illud petendum non inuitent. Multa, eaque elegantiſſima in eo viſuntur cœnobia, ac tẽpla. Diuæ Mariæ dè Victoria, ex manubijs, naualis ad Lepantum pugnæ reportatis, templum erexit Ioannes Senior Auſtriacus. Deiparæ quoque *ad Cappellam*, vt vocant, alterum excitauit Franciſcus Card. Boncompagnus. In Dominicæ Aſcenſionis, & Diui Mi-

Michaelis Archangeli honorẽ, aliud Cœleſtini Monachi curant perficiendum. In ædibus Grauinenſis Ducis, aliud elegantiſſimum nuper erectum eſt; quemadmodum ad cœnobij normam à PP. Congregationis Lucenſis adiacens palatium eſt redactum. Blandæ ſiue Beluederij Principis, nitidiſſimum ob frontiſpicium, vel à longè enauigantibus ſuſpiciendum prominet in litore maris palatium. Illud ædificari curauit Diomedes quondam Card. Carafa, cui ſicut cordi fuit, varia in parte anteriori Hierogliphica adfigere, ſic penes ipſum, duplicis alphabeti, hinc rectà, hinc præpoſterè ſupra ianuam exciſi, vera manſit enodatio. Sancti Leonardi ſequitur ædicula, artificioſæ ſuperimpoſita moli. Exiguitatem tamen loci ad ſæculorum famam Ferdinandus Senior Aragoneus, ſeuera Procerum pro-

ſctiptione, hìc, dum Puteolis Neapolim obequitaret deſignata, extendit. Diuæ Mariæ ad Cryptam in capite Plagæ, velut adiacenti colli impactum cernitur templum, annuo, die octaua Septembris, populi Neapolitani concurſu,& procerũ,ipſiuſq; Proregis obequitatione frequentatum. Collis, qui ab Eccleſia iam dicta, leni decliuitate meridiem verſus ad duo ferè milliaria procurrit, amœniſſima eſt Mergellines,& Pauſilypi ora, decantatum deliciarum compẽdium: quod Neapolitani Proceres, quà in litore, quà in dorſo varijs nobilitarunt ædificijs. Verùm, cùm piratarum incurſionibus ſit expoſitus, interdiu potiùs, quàm in nocte frequentatur. Recentiores nedum, ſed & antiquos hanc frequentaſſe oram, non eſt qui non norit. Pro omnibus tamen fidem adſtruet Poetarum Coryphæus Virgilius

Ma-

Maro. Ille etenim, aut ex fabulis Parnaſſum coaleſcere reputans, aut Arcadiç campos deridens, quin patrij Mincij ripas exoſus, hoc vno in loco Muſas conſidentes agnouit; adeout & mortuus Mergellines in ſinu cōdi voluerit; quæ poſtmodum, veluti tanti Vatis fœcundata cineribus, celeberrimum illum Iacobum, ſiue Actium Sincerū Sannazarium tot per annos carmina modulantem aluit, fouit, & tandem mortuum, vt alterū Virgilium perpetuò quieturum excepit. In dorſo igitur collis, ea in parte, quæ cryptæ imminet Neapolitanæ oſtendunt accolæ locum, in quo cōditos fuiſſe aliquando Virgilij cineres, multa veterū ſcriptorum euincunt teſtimonia. Temporis tamen voracitas talem vatem pro dignitate quieſcere haud permiſit. Non audet hìc mea muſa, modulari carmen, verùm ne in-

grata Poetarum Principi videatur, hoc, quo ſe excuſet, ſubmiſſa, & gemebunda voce diſtichon profert.

Veſtra hìc mœrentes confringite plectra poetæ,
Nam ſileant opus eſt ſi tacet ipſe Maro.

Templum hinc eſt adeundū, quod Actius Sincerus Sannazarius Parturienti Virgini adhuc viuens ſacrauit: celeberrimo illo de partu Virginis poemate, abſoluto. Propriæ Sannazarij hæ fuerunt ędes, quas raro amoris, & fidei exemplo, vt erga ſe munificentiſſimum Fridericum Aragoneum à Regni poſſeſſione deiectum, & in Gallijs exulantem proſequeretur, vltro reliquit. Quam animi conſtantiā in Pontano deſiderarunt nonnulli; cùm poſthabitis beneficijs à Ferdinando, & Alphonſo Aragoneis in ſe, hominem alioquin exterum, collatis, pro roſtris aduentantem Carolum Frācorum Regem laudauit, & nutan-

tantem Aragoneorum fortunã, ea qua valebat dicendi arte depreſſit: adeò pleriſque hominũ, fortunã magis, quam perſonam ſequi libet.

In medio apſidis, elaboratiſſimum ex pario marmore aſſurgit eiuſdem Sãnazarij ſepulchrum. Nil eo nitidius, nil operoſius. Virtuti Sannazarij permiſſum, vt Chriſtiano in templo, dimidiata eius ad viuum effigies, ac lauro redimita, ſepulchri in apice collocetur, & ludentes Satyri, Chriſtiani vatis ad tumbã choreas ducant. Petrus quoque Card: Bembus Venetus, ob laudatas à viuente Sannazario Venetias, grates eidem mortuo, tali ad ſepulchri baſim appoſito diſticho rependere viſus eſt.

Da Sacro cineri flores, hic ille Maroni
Sincerus Muſa proximus vt tumulo.

Binæ hinc inde aſſidentes adſtant marmoreæ, Mineruæ, & Apollinis ſtatuæ; quas, ne omni

ni ex parte ethnicifmum Chri-
ſtiani vatis redoleret ſepulchrū,
perfractis Apollini lira, ac Mi-
neruę haſta, Cœnobitæ, qui ob-
tinent locum, nullo negotio in
Dauidem, ac Iudith tranſmuta-
uere. Etiamnunc oſſa; & cra-
nium Sannazarij contrectantur:
adeout accedentes ad tumulum,
veluti pro tanti vatis coronide,
citra mendacium hoc quoque
proferre valeant, Sannazarium
videlicet legiſſe, adijſſe, ſuſpe-
xiſſe, & contrectaſſe. E templo
denique egredientes, illius in
area ſubſiſtamus parumper, Pla-
gæ Neapolitanæ proſpectum, &
è regione fumantem Veſeuum,
& veluti in compedes adſtrictū
æquor, contemplaturi. Hoc ſa-
nè in loco, velit nolit, muſarū
ſedem agnoſcet viator. Hic nā-
que perflant ſuauiter venti, leni
murmure decurrunt riui, neſcit
inſanire Neptunus, virore reſ-
perſa perpetuo renidet tellus, &
ſo-

ſolum ipſum, quà pampinis, quà nemorea fronde contectum, Phœbæos radios dedignatur admittere. Hìc denique fabuloſis ablegatis Sirenibus, aſſiduo aduentantium cantu, ac ſonitu oblectantur ciues, detinentur aduenæ, inuitantur lõginqui. Quæ omnia, vt quieſcenti Sannazario benè cedant, mea muſa ſic precatur.

Ad Sepulchrum Sannazarij.

Actius hoc recubat nitido ſub marmore vates,
Cui radians Phœbus laurea ſerta dedit.
Hic vernet tellus, flores; tu funde, uiator,
Vatemq; irroret docta Camœna ſuum.
Huc riui, huc fontes tenui properate ſuſurro,
Vt Vati obueniant ſomnia grata meo.
Aequora, bacchantes ultro compeſcite fluctus,
Vt litus dulci murmure plaudat Io.
Aeolus, obſcurum uentos impingat in antrũ,
Ne Sacros cineres diſſipet aura furens:
Siq; Veſeue tuis gaudes ſplendeſcere flammis,
Sis Vati æternùm lampas honora meo.

Ora Mergellines tranſuecta, ſuperbiſſimum occurret palatiũ à Duce Medinę *de las Torres*, dũ Neapolim moderaretur, ĩchoatum,

tum, ſed nondum abſolutum. Immanitas operis forſan illum abſterruit. Incredibilia ſiquidē ſunt ea, quæ pro illius ſubſtructione ſunt patrata. Euiſcerati montes, ablegatum mare, complanati ſcopuli, vt è parte inferiori, vltro, citroque ingrederetur, & egrederetur mare, & cymbæ inter ſolis ardores tutò, ac impunè poſſent diſcurrere, ac expatiari. Illud introſpiciat hoſpes, ſi molis operoſæ typū ſuas in oras geſtit adferre. Totum quod ad promontorium Pauſilypi extenditur litus, innumeris eſt refertum palatijs, adeo æſtiuo in tempore frequentatis, vt quandoque huc Neapolim comigrare ſis dicturus. Perforatus ſcopulus poſt promontoriū occurrit, quem vulgus appellitat *la Gaiola*. Luculli opus haud dubiè fuit hæc perforatio, cuius in meditullio, lateritij templi, Neptuno, vt par eſt credere, ſacro

per-

perſtant rudera. Alij hinc inde emergunt è pelago ſcopuli, ex quorum aſpectu, & ſitu, continenti vnitos aliquando fuiſſe, non eſt ambigendum. Niſis, ſiue vt vulgus vocat *Niſita* inſula, ſcopuli inſtar è medio fluctuum & ipſa attollit caput. Qualis eſt figuræ, ad iuſtum milliare in ambitu extenſa. Quà meridiem ſpectat, ſinuoſa eſt aliquãtiſper, & naues admittit. Luculli latifundium fuit, & Ciceronis hoſpitio non ſemel, vt ipſe ad Atticum ſcribit, nobilitata. Sed ſatis in aperto luſimus. Ad montium viſcera peruadenda nos modò inuitat Neapolitana Crypta, quam vbi primùm ſubieris, cum Seneca proculdubio exclamabis. Nil hoc carcere longius, nil iſtis faucibus obſcurius, quæ nobis præſtant, vt non tenebras, ſed per ipſas tenebras videamus. Et quidem, hic vnus, quo patientiſſima tellus diuexa-

re-

retur ſupererat modus; in tranſuerſum ſcilicet illam euiſcerare. Quiſnam opus pertentarit, aut perfecerit, incompertum. Cimmerios nonnulli, Virgilium aliqui, Cocæium plerique, ſed ego immanis auſus, Cumanos, quibus Cryptarum vſus familiare fuit, auctores agnoſcerem. Sanè ſi Neapolim condiderunt, quin & reædificarunt Cumani, quid vetat credere, vt expeditior ab vna in aliam vrbem eſſet tranſitus, hunc quoq; perforaſſe montem? Auctoribus ſanè, quicumque illi fuerint, promeritas laudes impertitur tranſeuntium ſtupor, & admiratio. Eius longitudo ad vlnas 2700. latitudo ad 32. altitudo verò quà maior ad 98. extenditur, ac porrigitur. Silicibus conſtrata eſt, nulloque impedimento plauſtra plauſtris, rhedæ rhedis occurrunt. Puluis tamen ſuum in ea munus egregiè exercet; ſiquidē,

vt ait Seneca, cùm in aperto res grauis ſit ac moleſta, quid eo in loco, vbi in ſe volutatus diu, tãdem in eos à quibus eſt excitatus recidit, faciat, tu cogita. Non ſemel Petrarca, & Boccatius vnà cum Roberto Rege illam ſubierunt, ac perluſtrarunt. Licet locus tendendis inſidijs ſit aptiſſimus, rarò tamen, & ferè nunquam à prædonibus frequentatur. Quò magis peruiam redderet, è ſupercilio montis, foramē excidendum curauit Alphonſus Aragoneus ſenior. Orificio, quod Neapolim proſpicit, arcula marmorea à latere adſtat, quã vulgus Virgilij fuiſſe ſepulchrũ credit, ſed falsò. Verùm, ne inter has latebras diutiùs commorantes rediuiuam Cimmeriorum fabulam noſtro faciamus exemplo, iterum in aperta egrediamur, & ſequentem Epigraphen ex verbis Senecæ concinnatam, cryptæ orificio adaptemus; quã,

ſi

ſiduriuſculè exaratam offendes, ne dedigneris rogo; Quid namque mirum, ſi inter montis cōcaua, & abrupta, & quà vt pedibus facilis ſterneretur via, ſcalpro, ferroque opus fuit, gracilis mea muſa, lubrico modulari pede carmina non potuerit?

Æmula naturæ quid tandem poſſit in orbe,
Faucibus en patulis obuia crypta docet.
Carcere nil hoc longius, aut obſcurius vſquā,
Hic tenebras cernis, per tenebraſq; vides.
Num parū erat fragili ligno percurrere Pontū,
Nì quoque ſub terra plauſtra vehēda forēt?
Audax qui primus freta, verùm audacior ille,
Peruia qui potuit reddere ſaxa prior.

Pauſilypi in dorſo, amœniſſimæ extenduntur Michaelis Muſcettulæ; & Principis *Petræ*, villæ. Multa ſigna, ac tabulæ marmoreę è Cumarum ruderibus eruta illas cohoneſtant. Vnā aut alteram Virgilij, & Veſpaſiani integras non ſine iucunditate aſpicies, quemadmodum & Ganimedem Aquilæ inſidentem exquitiſſimo artificio deguſtabis

ex-

expreſſum.

Hucuſque Neapolitanæ vrbis deſcriptionem protrahere, debitum, ac neceſſitas me coegit. Modò, vt appendicis loco nonnulla ſubnectam, incæpti itineris expoſcit methodus; ne ſcilicet, Puteolanum agrum colluſtrantes, iiſdem ſæpe repetitis vijs, huc, illucque nunc deducam, mox ſubducam. Anianum itaque lacum vulgò *Agnano*, & proximi ad eum montes, quos vocant *Aſtruni* cõſultiùs adibimus. Egredienti è crypta, ad vnum milliare occurrit Anianus, altiſſimis vndequaque concluſus iugis; quo euenit, vt aquarum è cœlo decidentium congeriem, non ex ſubterraneis ſcaturiginibus coaleſcentem lacum, illum putarint nonnulli. Atras aquas piſciculis atrioribus refertas cõtinet. Decantatum Canis antrũ illius in crepidine adſtat: circa quod in miſeros canes enecan-

dos

dos dira quædam potiùs curioſitas vſque modo efferbuit, quàm quòd in verã internecionis cauſam perueſtigandã, ſolertes alioquin inſudarint canicidæ. A peſtifero, & venenoſo, quem terra emittit, halitu exanimari canes credidit, & credit hucuſque vulgus; ad orificium ſiquidem antri ſe proſternentibus, nubecula quædã apparet, eiuſdẽ ſolũ, ac planũ ad palmi vnius altitudinẽ æquè omni ex parte operiẽs. Hãc, ex halitibus, & vaporibus, quos ſulphur, & alumẽ, cęteraue minerialia, quibus hic tractus abũdat, tranſmittunt, coaleſcere non eſt ambigendum. Cum verò delicatiſſimi olfactus ſint canes, inde à fœtore, aut à venenoſo aliquo ſpiritu, cerebrũ, vel præcordia petente, enecari creditum eſt. Craſſiſſima hac indagine, tot per ſæcula obuolutus orbis, haud curauit ad ſubtiliora ſuos adigere philoſophantes.

Dabit itaque veniam hoſpes ſi Mercurij cothurno, & alis parũper depoſitis, huius in crepidine antri, haſtam Mineruæ exoſculaturus vltro procumbam. Canibus,nedum, ſed & cunctis animantibus reſpiratione indigis, eadem ſors, idemq; fatum hoc in antro obueniet, ſi caput reclinare, aut os iamdictæ nubeculæ admouere contigerit. Ne verò à peſtiferis,aut venenoſis halitibus exanimationem fieri credas, exſecti canes, & exciſum eorum cranium teſtati ſunt: præcordia ſiquidem, & cerebrum nulla fuligine, aut ſigno, venenum comitari ſolito, commaculata, reperta ſunt: quin diu ſeruata, haud corruptioni fuerũt obnoxia. Ranæ, Vermes, Limaces, & alia id genus animantia, nulla, vel non admodum frequenti reſpiratione indiga, aut ſuperuiuunt, aut tardiùs exanimantur; vt inde certò certiùs appareat, ob reſpi-

ſpirationis defectum interire. Canum frequens eo in agone, oris aperitio, & oſcitatio, aerem expoſcere, non venenum arcere videtur; quis etenim neſcit, animantibus, periculo in extremo obuerſantibus, hoc à natura ingeri, vt quod illis confert ad leuamen, aut nutu, aut voce, sũmis conatibus annuant, & expoſcant? Nubeculam verò illam, minimè ad reſpirationem conferre ex eo liquet, quod ad primũ illius ſuperficiei contactum, candelæ, & faces extinguantur accenſæ. Nubeculæ craſſities, & calor, quin & ſenſibilis illi admixta humiditas, vtrumq; haud dubiè præſtant. Vnum eſt quod mireris, nubeculam ſcilicet, eãdem ſemper ſeruare altitudinẽ, & æqua ſuperficie extendi, nec voluminibus cum aere immediato confundi; ex quo colligitur, non à plano antri aſſurgere, ſed ab imperceptibili quodam

ſpi-

ſpiraculo è lateribus proſilire. Coniecturam obfirmauit experimentum. Cum etenim quaq; verſum accenſas admouiſſem faces, & fumus poſt earum extinctionem totam per nubeculę ſuperficiem ſe extendiſſet, euenit, vt è repente, citatiſſimo curſu, orificium verſus, inſtar aquę decurrentis, ferri incæperit fumus: nil minus ſi à tergo, vt ſic loquar impelleretur. Minutiſſimam deinde paleam ſerico alligatam filo ad ferulam ſuſpendi, quæ perpendiculari immobilitate motum manus, eam huc, illucque per nubeculam ducentis, obſequeretur: verùm cum è regione orificij, in fundo ſcilicet, ac remotiori antri parte deueniſſet, euerberata eſt: & eadem, qua fumus, ſemita orificium verſus contendere cæpit; vt iam certò conſtet ea ex antri parte, vapores nubem efformantes proſilire. Talibus obfirmatus

tus experimentis meam expoſui de Canum internecione ſententiam. Alij aliter, vt libuerit, philoſophentur; non etenim hac in parte philautia detineor ego: licet cùm præter inſtitutum hæc aperuerim, Mineruam, iuxta vetus adagium, monere voluiſſe aliquibus forſan ſim viſurus. Sed Mercurio iterum nomen demus. Multa circa Anianum ſunt ſudatoria, varijs adiudicata morbis. Iniectos ex antro in Aniani aquam canes, reuiuiſcere putat vulgus, qui tamen vulgari credulitate ſeducitur. Poſtquam enim exanimati ſunt, nec Oceani immēſitas diuulſos ſpiritus euocabit; antequam verò in totum opprimantur, nedum huius, ſed cuiuſcumque aquæ aſperſione, vires, ac primæuum ſpiritum paulatim adipiſcuntur; non ſecus ac hominibus ſyncope aliqua interceptis, aceti, aut aquæ frigidę aſperſio impertitur leuamen.

Ad

Ad Antrum Canis.

Aſſolet hic varios natura oſtendere luſus,
Dum ſcrobe quos ſternit ſuſcitat inde canes.
Hinc fuge blande canis tutoſq;require receſſus,
Pro tecto tumulum nam tibi crypta dabit.
Scilicet alma tuos odit natura latratus,
Hic vbi ſecretò ludere ſola cupit.

Septentrionem verſus incedẽti, montes vulgò *degli Aſtruni* Regijs venationibus reſeruati occurrent. Hic, ne in ſubterraneis tantùm ludens videretur, montes ipſos ſuis luſibus adaptauit natura. Exactam Amphitheatri figuram, qualem inter hos mõtes, nullo architectante, ipſa efformauit, vix vnquam ars aſſequetur. Hinc meritò Magnus ille Alponſus Aragoneus, ac ſi parum eſſet, exoletum triumphandi morem reſtituiſſe, hunc locum pro amphitheatralibus ludis coram Friderico tertio Imperatore innouãdis delegit. Põpam, ordinem, & magnificentiam Pontanus deſcripſit. Ab ignita aliqua eruptione, aut à

longa ignis exeſione ſic excauatos reor ego, nedum quia toto hoc in tractu præualet ignis, ſed quia omnia ferè loca ignibus obnoxia, amphitheatralem obtinẽt figuram. Talem refert Forum Vulcani, vulgò *la Solfatara*. Eandem, ætate Plinij, in vertice referebat, & etiamnum, à crepidine voraginis in imum proſpectantibus, exhibet Veſeuus. Cum itaque regionem hanc quondam cõflagraſſe teſtetur Strabo; quid prohibet Montani huius amphitheatri ignem pro artifice agnoſcere, & fateri? Cur verò reſtinctus fuerit ignis, ea forſan eſt cauſa, quod pabulum, & minus apta materia defecerit. Paucorum namque annorum ſpatio obſeruaui ego *Sulphatariæ* os, ſiue foramẽ è loco motum; quod quidem eueniſſe puto ob materiæ, & pabuli defectum. Sed mirabiliora per tractum Puteolanum occurrent. Interim, quam
ſum-

ſummatim deſcripſi Neapolim repetat hoſpes, multa, quæ forſan conſultò, aut immemor omiſi, ab auctoribus, qui vberiori ſtylo minutiſſima quæque tū Sacra, tum profana tantæ vrbis proſequuti ſunt, depromptu-rus.

COELESTINI
GVICCIARDINI

Tractus Puteolanus, Baianus, & Cumanus.

E Latebris Neapolitanæ cryptę egrediẽti, perampla via, quam prope litus maris, igne ferroq; decuſſis rupibus, Dux Alcalæ ſenior aperuit, ad quatuor milliaria, humili colli ſuperimpoſiti occurrent Puteoli. Vnum ſi excipias templum Herculi olim, vel vt alijs placet Ioui, nunc Diuo Proculo loci Patrono ſacrũ, vix aliud priſcæ magnificentiæ obſeruabis veſtigium. Siue à puteorum numero, ſiue à ſulphuris putore, nomine *Dicearchiæ* obliterato, Puteolos vrbem

hanc

Digitized by Google

hanc appellitauere Romani. Cumanos habuit fũdatores; & proprijs legibus, ijſdemque Græcanicis, vel ſub Romanorum Imperio vſa eſt, quorum, & nobilis colonia, & celeberrimum fuit emporium. Baiarum ob vicinitatem, varijs & ipſa condecorata ædificijs, vicinos, & longinquos populos in ſui attraxit admirationem; tractum enim hunc, pari æmulatione, ſumptuoſiſſimis villis, & Cæſares, & proceres ornauerunt Romani; vnde non mirum, ſi quandoque apud auctores, cum Puteolano litus confundatur Baianum. Sed proh, qualis ab illo eſt nũc amœniſſimæ oræ aſpectus, & facies? Grauis aer, habitatores rari, tuguria potiùs, quam domus, & inter otium, nulla redimibilis arte, aut induſtria, marceſcens incolarum pauperies. Ludenti naturæ hìc olim ars inſultabat; nunc ablegatis miraculis artis,

 ſibi

ſibi vnæ antiqua certamina, nũc feralibus eruptionibus, nunc cinerum aggeſtibus natura indicere cogitur. Ingentia, quàquà verſum cernuntur templorum, thermarum, ac villarum rudera, quæ omnia populus quondã orbis dominus, pretioſioribus vndequaque aduectis oblectamentis, hic veluti in otij, & felicitatis theatrum collocarat. Sed cuncta temporis voracitas, & hominum barbaries attriuit. I nunc, & vias ſilicibus conſtratas, Lucrinum lacum, Iulij portum, Ciceronis, Virgilij, Hortẽſij, Marij, Luculli, aliornmque villas perquire. Fato cuncta ceſſere. Quin litus ipſum viciſſitudini haud obnoxium, lamentabiles, & ipſe nænias antiquatæ felicitati canere videtur. Et quis credet, Baianum litus, ſolis Cæſaribus olim peruium, nunc à paucis, & pauperrimis piſcatoribus, tenui cymba percurri?

Cun-

Cuncta denique vepribus, ſqualore, ac ceſpitibus implicata obuenient. Numine forſan ſic permittente, vt loca, quæ populi felicitate inſanientis libidinum officinæ fuerunt, ſerpentibus poſtmodum, alijſquẽ fœdiſſimis animantibus vſuuenerint. Sed ad inſtitutum: & ne per abrupta, ijſdem repetitis itineribus, pedes, menſque hoſpitis fatigẽtur, compendioſa balneorum recitatione illum à tædio, meq; à debito conabor exoluere. Numero trigintaquinque recenſentur balnea, quæ in Puteolano, Baiano, & Cumano tractu tempore Friderici II. Cæſaris innoteſcebant. Eorum virtutes vltra menſuram, ni fallor, metricè expoſuit Ebolitanus quidã eiuſdem Friderici Syncronus. Tractu vero temporis, ob repetitos terræ ſuccuſſus, nonnulla, ex parte, multa in totum defecere. Tot taleſque ab accolis, & ab

Ebolitano ſcriptore eis tribuuntur virtutes, vt nec Æſculapius tot morbos agnouerit. Vulgatus eſt libellus, & ideo à recitatione me abſtineo. Illum tamē ſi aliquando legere contigerit eò deuenies,vt his in balneis,aut latentem, aut liquefactū Æſculapium credas; adeo vnicuique morbo adaptata pharmaca autumant miſeri languētes hìc expiſcari. Vera an falſa ſint, quæ de eorum virtutibus circumferūtur,ſicuti nec mihi,ita nec hoſpitibus vnquā experiri contingat enixè deprecor.

Antequam peruenias Puteolos, variæ ædificiorum ſubſtructiones per litus maris obueniunt. Aurificum officinas extitiſſe volunt incolæ: mercium tamen conditoria fuiſſe, ex loco, reor ego. Iam in Puteolano ſuburbio aderis, nulla ædificiorum venuſtate conſpicuo. Quin vrbs ipſa, vix quo ad eam perluſtran-

ſtrandam alliciat, profert. Herculis templo ſuperinductum eſt Epiſcopium, Diuo Proculo, vt dixi, Sacrum. Pauca tamen, quę remanſere fragmina, operoſiſſimam molem extitiſſe euincunt. Calpurnium quemdam, aut conditorem, aut refectorem fuiſſe, mutila in marmore inſcriptio demonſtrat. Ea fuit arte conſtructum, eàque induſtria inuicem compacti fuere lapides, & ſaxa, vt ab vnius ſaxi mole videretur eductum. Æternitatem tamen à conditore tam auidè exoptatam, ſua edacitate peruicit tempus; vnde non mirum ſi adoratum quoque in eo Alcidē, inermis Chriſti miles, ſolo nutu, ac voce fugarit, & tectum ſibi cedere vltro coegerit.

Ad templum Herculis.

Structuram ſpectes ſiue hinc pendentia ſaxa,
Firmius hoc nullum dixeris artis opus.
Alcidem decuit tali conſiſtere templo,
Quò tamen imbellis depulit ore ſenex.
Amplius haud clauam iactes, inuicte Deorum,
Sed tibi fœmineam denuo ſume colum;
Nil etenim iuuat fortes domuiſſe gigantes,
Ex quo te Proculus fecit abire procul.

Deſcendenti, immania, & ad paſſus quingentos in mare procurrentia, obuenient rudera. Puteolani portus, hæ, moles fuere, quarum opportunitate coronata illa bellua Caius Caligula, in oppoſitam Baiani litoris oram pontem extendere cogitauit. Amentiſſimi tamen Principis deliramenta, ſua ęquor inſtabilitate repreſſit: Ne tamen impoſſibilia excogitaſſe videretur, aduectas vndique naues, & triremes, ferreis obfirmauit catenis. Sicque ligneo conſtrato ponte, triumphali repetita pompa, nouus hic Romanus Xerſes, de domito, ac ſubacto mari in-

ſa-

ſanum, ſuper illum incedens peregit triumphum.

Ad pontem Caligulæ.

Tramite qua longo excurrunt à litore moles,
Quas & rauciſono murmure lingit aqua,
Inſani ſunt Calligula veſtigia pontis,
Quem pede compreſſit ſtultior ipſe mari.
Aptiùs haud poterant bacchãtes æquoris vndæ,
Quàm ſub dementi principe frena pati.
Hinc forſan diſiecta in litus murmurat vnda,
Ceu doleat durum hic æquora ferre iugum.

Horti, quos ex Africanę victoriæ manubijs Petrus Toletanus Prorex inſtituit, ſubſequuntur. Vt ob recentem Puteolani agri conflagrationem palantes Puteolanos ad priſtinas ſedes reuocaret, illos cum adiacenti palatio in modum arcis conſtructo deſignauit prudentiſſimus ſimul, ac pijſſimus princeps. Verùm frequentia potius arborum, & aquarum copia, quàm ſplẽdore, ac faſtu inclareſcunt. Columnæ tamen porphyreticæ, & aliqua ſigna marmorea non contemnẽda in ijs viſuntur. Vnum erit

quod intuentes mærore percellat, incuria videlicet ob dominorum abſentiam; ſqualidi enim ſunt; & cùm nobiliſſimæ victoriæ ſint trophæum, quin conditoris ſanguinem, ac ſudorem redoleant, è re faciet quiſque, ſi diuturnitatem illis deprecetur, & aquarum copiam, ſequenti in Toletanum beneuertat diſticho

Sanguine ſi nimio maduiſti fortis Ibere,
Limpida ſanguineas abluet vnda notas.

Toletanis hortis, ea qua ad forum Vulcani, vulgò Sulphatariam itur via, Neptuni imminet templum, non tamen eò vſque dirutum, quin priſca illius magnitudo, & ſtructura obueniãt. Num ex ſuo foro in flammas quandoque erumpenti Vulcano illud pro repagulo Romanorũ credulitas oppoſuit? Editiori in loco, immania Puteolani amphitheatri, ludis, & carnificinis, re florente Romana, frequentatiſſimi prominent rudera. Ex aucto-

ctoribus habemus non ſemel illis Auguſtum, Tiberium, Caligulam, Neronem, Domitianũ, Adrianum; & alios Cæſares interfuiſſe. Vt vt tamen ob tantorum Principum præſentiam, ſqualentes hi fornices admirationem exigere videantur, pius tamen horror ſuperueniet, vbi ad mentem reuocabimus hac eadem in arena feris impunè obiectum fuiſſe Sanctiſſimũ Chriſti Athletam Ianuarium. Cuius ambitus, vel cuius architecturæ ordinis illud fuerit, cum omni ex parte ſit diſiecta exterior peripharia, & lapides aliò ſint aſportati, deprehendi non poteſt. Hinc per anfractuoſos calles nunc ruderibus ſuperinductos, nunc antiquam viam intercipiẽtes, & mox ſubducentes, in forũ Vulcani, ſeu vallem Phlegram peruenitur. Siue loci ſolitudinem, ſiue ſolum, & circa illud ſe attollentia, & perenniter fuman-

mantia iuga conſideres, nil hac valle tetriùs, nil quod ad repedandum, curioſos magis ſollicitet. Solum enim inconſtans eſt, & alicubi lubricum, hincque nonniſi præuio ductore calcandum. Quamuis etenim nulla ſit in eo apparens vorago, ex boatu tamen quem pcuſsũ ſolũ tranſmittit, fornices ſulphureos premi non eſt ambigendũ. Horridũ è regione ingreſſus ſe ſe offert vaporarium, fumi ſpiſſitudine, & voluminoſa eiuſdem elatione, vel à longè intuentibus extimeſcendum. Os Sulphatariæ illud appellitant incolæ, eò quod nullibi tam impetuosè ſulphuteus vapor erumpat. Immenſam aquarum molem in ſubterraneis efferueſcere, murmur, & madefactio cuiuſcunque rei ad orificia admotæ, vel inter illas caligines clariſſimè demonſtrant. Sit ne poſtea ſubterlabens alicuius fluminis aqua,

qua,

qua, an alia ibidem ſcaturiens, huius loci cuſtos interrogetur Vulcanus. Quod philoſophantes diuexat, eſt, num ex fermẽtatione calentis ſulphuris, an ex iam concepto in ſulphure igne, tranſilientes, aut inde ſcaturiẽtet aquæ incaleſcant ſimul,& efferueſcant. Fermentationi adhęrerem ego; alioquin ſi in terræ viſceribus perpetuò ignis arderet, neſcio cur non aſſiduè pariter ſolum quateretur, & continua mineralium exeſione in ignis pabulum cedente, in dies ſubſiderent montes, & valles magis, ac magis profundæ redderentur. Subterraneæ fermẽtationis, in aperto, & ſub dio, typum exhibet hæc eadem vallis; Siquidem varię ſcrobes effodiũtur, in quas iniecta terra à pluuiatili deinde aqua ſic fermentatur, vt in ſuperficie illius, ſulphur coaguletur quidem, ſed non igneſcat. Sed Vulcani offici-

ficinas vltra colluſtrare non libet. Dimetiamur itaque forũ, quod Amphitheatralis eſt figuræ, altiſſimis, iiſdemque perenniter fumantibus iugis circumſeptum. Diameter areæ ad quingentos, ambitus ad mille quingentos circiter paſſus extẽditur. Hic ab Hercule deuictos, pariterque ſepultos gigantes, fabuloſa gentilitas commenta eſt. Vt tamen horrorem hac in valle cõceptum ex parte deponat hoſpes, ludicrum epigramma propono: ſi tamen à tot ignibus obſeſſa Neapolis ſuos terrores ſinet per iocum excipere.

Ad vallem Phlægram.

Parthenope infelix tot flammis vndiq; cincta,
Quas tamen in varia lædere ſorte vides.
Mons illinc cinere, hinc vallis te Sulphure tor-
Ille minax capiti, hæc inſidioſa pedi. (res,
Sique cinis volitans illic tua lumina lædit,
A fœdo hic naſus Sulphure læſus abit.

Scabra dein, ſed breui via ad locum in quo Chriſti Martyr Ianuarius obtruncatus eſt perueni-

ni-

nitur. Eccleſiam cum Cœnobio Populus Neapolitanus extruxit, & Capuccinis attribuit. Lapis etiamnum ſanguine delibutus ſuper quem ſecuri percuſſus fuit Sanctiſſimus Pontifex oſtenditur. Feruet hic non vno in loco ſolum, vt manum illi admouere vix permittatur. Hinc miri artificij ciſterna penſilis cõſpicitur, quæ, velit nolit Vulcanus, eius in dorſo impunè gelidas, nec inſuaues ſubſtentat aquas.

Ad locum in quo Diuus Ianuarius obtruncatus eſt.

Quis neget antiquos verum docuiſſe, canentes
Aptari rebus nomina ſæpe ſuis?
Vt taceãt homines ſileãt & marmora, Sãguis
Extincti diui firmat in orbe fidem.
Ille etenim Ianũ referens in nomine priſcum,
Et Ianum bina ſic quoque fronte refert.
Hic namq; caſum totus dum crederet orbis,
Viuere Parthenope in sãguine cernit adhuc.

Reuerſuro Puteolos, fragmina antiquæ viæ á Domitiano quondam conſtratæ occurrent,

quæ

Ad templum Herculis.

Structuram ſpectes ſiue hinc pendentia ſaxa,
Firmius hoc nullum dixeris artis opus.
Alcidem decuit tali conſiſtere templo,
Quò tamen imbellis depulit ore ſenex.
Amplius haud clauam iactes, inui cte Deorum,
Sed tibi fœmineam denuo ſume colum;
Nil etenim iuuat fortes domuiſſe gigantes,
Ex quo te Proculus fecit abire procul.

Deſcendenti, immania, & ad paſſus quingentos in mare procurrentia, obuenient rudera. Puteolani portus, hæ, moles fuere, quarum opportunitate coronata illa bellua Caius Caligula, in oppoſitam Baiani litoris oram pontem extendere cogitauit. Amentiſſimi tamen Principis deliramenta, ſua çquor inſtabilitate repreſſit: Ne tamen impoſſibilia excogitaſſe videretur, aduectas vndique naues, & triremes, ferreis obfirmauit catenis. Sicque ligneo conſtrato ponte, triumphali repetita pompa, nouus hic Romanus Xerſes, de domito, ac ſubacto mari in-

ſa-

ſanum, ſuper illum incedens peregit triumphum.

Ad pontem Caligulæ.

Tramite quà longo excurrunt à litore moles,
Quas & rauciſſimo murmure lingit aqua,
Inſani ſunt Calligulæ veſtigia pontis,
Quem pede compreſſit ſtultior ipſe mari.
Aptiùs haud poterant bacchātes æquoris vndæ,
Quàm ſub dementi principe frena pati.
Hinc forſan diſiecta in litus murmurat vnda,
Ceu doleat durum hic æquora ferre iugum.

Horti, quos ex Africanę victoriæ manubijs Petrus Toletanus Prorex inſtituit, ſubſequuntur. Vt ob recentem Puteolani agri conflagrationem palantes Puteolanos ad priſtinas ſedes reuocaret, illos cum adiacenti palatio in modum arcis conſtructo deſignauit prudentiſſimus ſimul, ac pijſſimus princeps. Verùm frequentia potius arborum, & aquarum copia, quàm ſplēdore, ac faſtu inclareſcunt. Columnæ tamen porphyreticæ, & aliqua ſigna marmorea nōn contemnēda in ijs viſuntur. Vnum erit

quod intuentes mærore percellat, incuria videlicet ob dominorum abſentiam; ſqualidi enim ſunt; & cùm nobiliſſimæ victoriæ ſint trophæum, quin conditoris ſanguinem, ac ſudorem redoleant, è re faciet quiſque, ſi diutùrnitatem illis deprecetur, & aquarum copiam, ſequenti in Toletanum beneuertat diſticho

Sanguine ſi nimio maduiſti fortis Ibere,
Limpida ſanguineas abluet vnda notas.

Toletanis hortis, ea qua ad forum Vulcani, vulgò Sulphatariam itur via, Neptuni imminet templum, non tamen eò vſque dirutum, quin priſca illius magnitudo, & ſtructura obueniãt. Num ex ſuo foro in flammas quandoque erumpenti Vulcano illud pro repagulo Romanorũ credulitas oppoſuit? Editiori in loco, immania Puteolani amphitheatri, ludis, & carnificinis, re florente Romana, frequentatiſſimi prominent rudera. Ex aucto-

ctoribus habemus non ſemel illis Auguſtum, Tiberium, Caligulam, Neronem, Domitianũ, Adrianum; & alios Cæſares interfuiſſe. Vt vt tamen ob tantorum Principum præſentiam, ſqualentes hi fornices admirationem exigere videantur, pius tamen horror ſuperueniet, vbi ad mentem reuocabimus hac eadem in arena feris impunè obiectum fuiſſe Sanctiſſimũ Chriſti Athletam Iauuarium. Cuius ambitus, vel cuius architecturæ ordinis illud fuerit, cum omni ex parte ſit diſiecta exterior periphæria, & lapides aliò ſint aſportati, deprehendi non poteſt. Hinc per anfractuoſos calles nunc ruderibus ſuperinductos, nunc antiquam viam intercipiẽtes, & mox ſubducentes, in forũ Vulcani, ſeu vallem Phlęgram peruenitur. Siue loci ſolitudinem, ſiue ſolum, & circa illud ſe attollentia, & perenniter fuman-

mantia iuga conſideres, nil hac valle tetriùs, nil quod ad repedandum, curioſos magis ſollicitet. Solum enim inconſtans eſt, & alicubi lubricum, hincque nonniſi præuio ductore calcandum. Quamuis etenim nulla ſit in eo apparens vorago, ex boatu tamen quem pcuſsũ ſolũ tranſmittit, fornices ſulphureos premi non eſt ambigendũ. Horridũ è regione ingreſſus ſe ſe offert vaporarium, fumi ſpiſſitudine, & voluminoſa eiuſdem elatione, vel à longè intuentibus extimeſcendum. Os Sulphatariæ illud appellitant incolæ, eò quod nullibi tam impetuosè ſulphuteus vapor erumpat. Immenſam aquarum molem in ſubterraneis efferueſcere, murmur, & madefactio cuiuſcunque rei ad orificia admotæ, vel inter illas caligines clariſſimè demonſtrant. Sit ne poſtea ſubterlabens alicuius fluminis a-

qua,

qua, an alia ibidem ſcaturiens, huius loci cuſtos interrogetur Vulcanus. Quod philoſophantes diuexat, eſt, num ex fermētatione calentis ſulphuris, an ex iam concepto in ſulphure igne, tranſilientes, aut inde ſcaturiētet aquæ incaleſcant ſimul, & efferueſcant. Fermentationi adhęrerem ego; alioquin ſi in terræ viſceribus perpetuò ignis arderet, neſcio cur non aſſiduè pariter ſolum quateretur, & continua mineralium exeſione in ignis pabulum cedente, in dies ſubſiderent montes, & valles magis, ac magis profundæ redderentur. Subterraneæ fermētationis, in aperto, & ſub dio, typum exhibet hæc eadem vallis; Siquidem varię ſcrobes effodiūtur, in quas iniecta terra à pluuiatili deinde aqua ſic fermentatur, vt in ſuperficie illius, ſulphur coaguletur quidem, ſed non igneſcat. Sed Vulcani offici-

ficinas vltra colluſtrare non libet. Dimetiamur itaque forũ, quod Amphitheatralis eſt figuræ, altiſſimis, iiſdemque perenniter fumantibus iugis circumſeptum. Diameter areæ ad quingentos, ambitus ad mille quingentos circiter paſſus extẽditur. Hic ab Hercule deuictos, pariterque ſepultos gigantes, fabuloſa gentilitas commenta eſt. Vt tamen horrorem hac in valle cõceptum ex parte deponat hoſpes, ludicrum epigramma propono: ſi tamen à tot ignibus obſeſſa Neapolis ſuos terrores ſinet per iocum excipere.

Ad vallem Phlægram.

Parthenope infelix tot flammis vndiq; cincta,
Quas tamen in varia lædere ſorte vides.
Mons illinc cinere, hinc vallis te Sulphure torret,
Ille minax capiti, hæc inſidioſa pedi.
Siquc cinis volitans illic tua lumina lædit,
A fœdo hic naſus Sulphure læſus abit.

Scabra dein, ſed breui via ad locum in quo Chriſti Martyr Ianuarius obtruncatus eſt: perueni-

nitur. Eccleſiam cum Cœnobio Populus Neapolitanus extruxit, & Capuccinis attribuit. Lapis etiamnum ſanguine delibutus ſuper quem ſecuri percuſſus fuit Sanctiſſimus Pontifex oſtenditur. Feruet hic non vno in loco ſolum, vt manum illi admouere vix permittatur. Hinc miri artificij ciſterna penſilis cōſpicitur, quæ, velit nolit Vulcanus, eius in dorſo impunè gelidas, nec inſuaues ſubſtentat aquas.

Ad locum in quo Diuus Ianuarius obtruncatus eſt.

Quis neget antiquos verum docuiſſe, canentes
Aptari rebus nomina ſæpe ſuis?
Vt taceāt homines ſileāt & marmora, Sāguis
Extincti diui firmat in orbe fidem.
Ille etenim Ianū referens in nomine priſcum,
Et Ianum bina ſic quoque fronte refert.
Hìc namq; caſum totus dum crederet orbis,
Viuere Parthenope in sāguine cernit adhuc.

Reuerſuro Puteolos, fragmina antiquæ viæ à Domitiano quondam conſtratæ occurrent, quæ

quæ per iuga Antiniani collis protracta, & ad Anianum lacū leni accliuitate deſcendens, inde per cryptam, Neapolim vſq; procurrebat. Eam tamen multa poſt ſæcula nunc emergentem, nunc latitantem poſthabere cęperant incolæ, donec à Petro Afan de Ribera Alcalæ Duce, alia per maris litus, vt dixi, conſtrata, in totum frequentari deſijt celeberrima via. Hortis Toletanis è rupe imminent Ciceronianæ villæ veſtigia. Campus, qui mare, & rupem interiacet, vitiferiſque arboribus conſitus eſt, à recedente mari, & ſubſultante ſolo in vltima Puteolani agri conflagratione efformatus eſt: quem ſui iuris fecit Toletanus Prorex. Incedenti per hæc loca graue non ſit Romanæ eloquentiæ principem in crepidine rupis obambulantem ſibi ipſi effingere. Hoc namque in loco celeberrimas illas quęſtiones dicta-

ctauit academicas . Sed quidquid volet ſibi effingat viator , veriora edacis temporis obuenient trophæa ; ſic loci amœniſſimi in ſqualorem verſa eſt facies, vt pro antiquo xyſto occurrant ſpineta, & pro vno Cicerone diſputante, oues balantes, & rudētium iumentorum inſuaues exaudiantur modulationes . Extincto Cicerone , fons de repente hac in villa ſcaturijt; cuius poſtea aqua medendis oculis vſuuenit ; ac ſi quo tanti viri internecionem lugentum oculis mederetur , prouida natura vltro remedium appoſuerit ; ni veriùs noua fontis eruptione, & ipſa ad Ciceronis caſum lacrymabunda videri voluerit . Etenim , vt Laurèa Ciceronis Libertus cecinit , par erat , vt ad caſum illius , cuius ſcripta, mortalium oculos lectione aſſidua erant fatigatura erumperent fontes quibus legētium oculis mederetur . Et à Ci-
ce-

ceronis incolatu; & ab amplitudine commendabatur hęc villa: totum enim quod per dorſum collis vſq; ad Lucrinum excurrebat, occupauit ſpatium. Verùm (& quis fieri potuiſſe crediddiſſet, ni factum fuiſſe videremus?) lacus & ipſe Lucrinus euanuit. Non commentitia, aut à remotiſſimis temporibus corroborationem mendicantia tibi propono prodigia. Poſtquam varijs, ſed tolerabilibus ſuccuſſibus, tractus hic per biennium pertentatus fuiſſet: anno tandē 1538. nocte diem vltimam Septembris antecedente, adeo concuti cæpit ſolum, vt orbis cardines conuelli putarint plerique. Ea in trepidatione, è Lucrino lacu erumpere cœpit, & ſurſum ferri ignis, quem talis ac tanta cinerum, ac lapidum copia comitata eſt, vt nedum totā Campaniæ oram afflixerit, ſed vnius diei ſpatio montem, altitudine

ne vicinum Gaurum, & latitudine Lucrinum lacum exæquantē efformarit. Sic paucarum horarum ſpatio Lucrinus ille euanuit in cuius perennitatem, & pulchritudinem, nunc repagulis, nunc vehiculis, non vnus Cæſarum inſudarat. Vel quia illum compreſſerint pluuiæ, vel quia in ſubterlatentis ignis pabulum denuo ceſſerit montis materies, non tantæ nunc eſt altitudinis, quantam in illius efformatione, exacti æui tradiderunt ſcriptores. Tales in obſoleto deliciarū gremio geſtit modò natura luſus oſtendere; ſic in Puteolano tractu, agonalibus obliteratis paleſtris, implacabiliter inter ſe pugnare didicerunt elementa, vt ex eorum ferali occurſu, nedum exſiccatus Lucrinus, verùm eductus ſit mons, qui ea profunditate, qua deprimebatur aqua, pari nunc (ni forſan maiori) altitudine ſuper terram ceruicem at-

attollat. Voraginem, fumi, ac vaporis expertem oſtentat in vertice, vt hinc ad nouas eruptiones paratum agnoſcas. Extincto tamen Lucrino, vel in fœcunditatis antiquæ gratiam hoc diſtichon adaptemus.

Nunc quoq; Lucrinus geſtit foecundus haberi:
Pro piſce en montē parturit ipſe nouum.

Poſt montem hunc, quem cinereum, & nouum meritò appellitant incolæ, varijs inciſa anfractibus ſe ſe offert antiqua Domitiani via, inter Italiæ celeberrimas, & ipſa quondam adnumerata. Mox decantatus Auernus, edito è loco ſub oculos veniet; cuius ad aſpectum, & fabulas circa illum effictas, & horrorem, quem ſolo nomine incutere videtur, euaneſcere comperiet hoſpes. Iucundum etenim exhibet proſpectum, eà præcipue ex parte, quà olim cum Lucrino lacu, & Baiano mari ſe miſcebat. Non eo inficias graueo-

ueolentiam depoſuiſſe poſtquã Auguſti iuſſu expurgatus fuit, & nemora, quæ illum occludebãt reciſa ſunt. Ad duo ferè milliaria in ambitu patet; tribus à lateribus, iugis altiſſimis circumſeptus, quorum per dorſa, plurium ædificiorum adhuc ſparſa cernuntur veſtigia. Nouerit tamen hoſpes, non ea omnia, quæ in eo, & circa illum ſomniarũt Poetæ, & forſan effinxerunt hiſtorici, experiri, vel intueri. Hac etenim in parte, ſicut, & alibi, minuit præſentia famam; impunè namque ſuperuolitant aues, nec tantæ eſſe profunditatis deprehenditur, vt ꝑ illũ ad inferos deſcendatur. Atri coloris habet aquas, ſiue quia paluſtres, ſiue quia profundæ ſunt. Nullos fermè gignit, aut alit piſces, ni inter nantes, ranas connumeratas velis, hoc etenim pacto

Immenſũ Oceanũ exiguus ſuperabit Auernus,

Talis ac tanta eſt in eo ranarum

co-

copia. Vnde cum in infima Auerni crepidine Apollinis templum perenni ranarum coaxatione obſeruari animaduertiſſē, ferè indignabundus in Poetarū numen, quòd tam fœdo in loco ſibi aliquando delegerit ſedem, tali perrupi carmine.

Linquere Parnaſsum, quiſnã te Phoebe coegit;,
Te forſan foeda hæc ſollicitauit aqua?
Cur Helicona fugis, Delphos cur liquis amatos?
Non patriam Delon deſeruiſse piget?
Prouidè at in tēplum Sapiens deſcendit Apollo
Hìc vbi tot ranas teter Auernus alit;
Nēpe vt cùm vatū cantus, & carmina deſint,
Suppleat illorum rana canora vices.

Vepribus obſitum foramen Auerno adiacet, per quod in antrum *della Sibilla* dictum laborioſus patet ingreſſus. Suum in eo Cumanam Sibyllam habuiſſe domicilium, credit vulgus, & iactitant incolæ. Fides ſit penes credulos. Ego ſanè Romanorū opus fuiſſe reor, eo fine perfoſſum, vt expeditior inter Cumas, & Baias foret tranſitus, & communi-

municatio. Etenim cùm dorsũ montis innumeræ occuparent villæ, & Baiano mari lacus iungeretur Auernus, nullibi aptior ſterni potuit terreſtris via, quàm per viſcera montis; crypta præſertim Neapolitana modũ breuiandis itineribus edocente. Cumanam Sibyllam his in locis vaticinatam non nego, ne tamen ſpecialem hoc in antro illi ſedẽ attribuam, & tempus, vt innui perforationis, & loci improportio, & ſtructura ſuadent. Cubiculum, quod in eo, ad ducentos paſſus occurrit, balneum Romani alicuius Reguli, ni forſan publicum, fuit. Ad trecentum tantùm paſſus modò extenditur antrum; obductus namq; conſultò murus, quod reliquũ eſt, imperuium reddit; non vnica etenim experientia innotuit, vlra progredientes, aut inter fœtorem, aut vaporum ſpiſſitudinẽ prolixæ, & cœcæ curioſitatis.

repentina exanimatione has inter latebras exoluiſſe pœnam. Vti Sibyllam, ſic & Cimmerios ab hoc nedum, ſed & ab omni alio antro extorres facio; Poeticum namq; genus eſt hominũ, ab anilibus nugis fœcundatum; ni pro Lucifugis, & antra incolentibus Cimmerijs, Noctuas, & Veſpertiliones agnoſcere velimus, quorum tanta hic ineſt copia, vt perſæpe à facium ſplendore excitati, foramen antri occludant, volatuque incompto oculos, vultuſque egredientium percellant. Quemadmodum Ethnicismus ſuas circa Auernũ commentus eſt fabulas, ſic & inepta quorundam Chriſtianorum opinio præcipuum de Chriſti in inferos deſcenſione myſterium, eiuſdem Auerni in fundo locauit; ſcioli cuiuſdam Poetæ cantiuncula fidem adſtruente. Sed Auerno relicto, per Domitiani viam occidentem verſus

ar-

arripiamus iter. Miræ altitudinis arcus in conſpectu aderit, ab incolis *felix* appellitatus, vel quia inter omnia huius tractus ædificia aduerſus temporis, & barbarorum iniurias felici ſorte integer etiamnum perſeueret, vel quia inter illius parietinas mutilus lapis hac vna dictione *felix* notatus, repertus fuerit. Lateritius eſt, & Domitianæ viæ ſuperimpoſitus. Quæ ſuper illum viſuntur fragmina, Apollinei tẽpli rudera eſſe contendit Capaccius; cui ne adſentiar, & ſtructuræ anguſtia, & loci improportio ſuadent: cùm, nec quà in templum aſcenderetur vllus pateat, nec poſſit excogitari locus. In arcus itaque ornatum crediderim ego molem illam lateritiã excogitatam, & erectam, cui & trophæa, & ſtatuæ eſſent adfixę, vt loculi, & periſtylia earum indicant non obſcurè. Neq;idem Capaccius eſt audiendus, qui ar-

cum hunc pro Cumanæ vrbis, ad orientem proſpectante porta, agnoſcit; via namq; Domitiana totum per hunc tractum integra perſtat, nec parum excurrit, antequam ab arcu ad rudera pertingat Cumarum. Quòd verò, nec vrbs, nec ſuburbia per dorſum collis arcum intercipiētis excurrerent, & nimia ruderū diſtantia, & cautium inæqualitas euincit. Romani ne, an Cumani illum condiderint, incompertum. Ad naturæ defectum ſupplendum haud dubiè erectus fuit; cùm etenim à Septentrione in meridiem exacto libramēto procurrat collis, æquum fuit, vnicum illum hiatū, quem præſeferebat, tali arcu ad ornatum ſimul, ac defenſam præcludere. Sanè, naturæ in Cumanos benignitatem agnoſcet quiſque, vbi prædictum collem ad tria milliaria procurrētem animaduerterit, loco validiſſimæ munitionis

nis Cumis datum;vt iam mirum non ſit, ſi inter omnes huius tractus vrbes, fortiſſimæ ſint habitæ Cumæ. Hinc proculdubio in ijs,& ipſi Cumani primùm,Campani deinde, Hetruſci poſtmodum, Romani aliquando, non ſemel Gothi, Longobardi poſtremò, ſalutem ac imperij ſtabilitatem, gazas, fortunaſque omnes, tutiſſimo veluti in aſylo collocauere. Sed in artem, ac naturam præualens tempus, & humana barbaries, quò munitiores, & in æuum duraturæ videbantur Cumæ, eò crudeliùs in earum deſolationem dentes acuit, rabiemq; conuertit. In minutiſſima fruſtula totũ quod fuerant Cumæ,hinc inde per arua reſperſum non ſine lacrymis obſeruatur; vt iam, non viciſſitudini, ſed voracitati temporis obnoxias,raro exemplo fuiſſe Cumas ſis dicturus. Nobiliſſimæ, ac tot Ciuitatum, Populo-

rumq; parentis vrbis expoſceret dignitas, vt profuſiori ſtylo, originem, res geſtas, ac opulentiã proſequerer; ſed quorſum iſthæc? num, vt repetita Cumarũ felicitate, inconſolabilior inde ſuper illarum tritura, ac vaſtatione luctus oriatur, & dolor? Et ſi meus Mercurius Apollini aliquando tradiderit Lyram, nõ tamen threnos didicit componere luctuoſos; nec Cumæ fuerunt Hieroſolimæ, pro quarum ſolitudine deploranda nouus Ieremias ſit expetendus. Blandiẽtis itaq; fortunæ illecebras, ſicuti & ſæuiẽtis in Cumanos, excidia, apud Capaccium perlegat hoſpes, cui ſat erit, pedibus interim faſtum, fortunamq; vrbis, antiquitate, prognatione, opibus, ædificijs, ac rerũ geſtarum gloria nulli ſecundæ, proculcaſſe. Collis qui mari imminet, & rudera quædam oſtentat Arx fuit Cumana, in qua aduerſus Narſe-
tem

tem, filius Totilæ poſt deuictum patrem obſtinatiſſimã ſuſtinuit obſidionem. Quadrato, ac prægrandi lapide ſiliceo cõſtabat: cui tamen opportunitas ſubiecti maris, & abrupta hinc inde ſaxa famam contulere. Palus ei adiacet, quam cum Acheruſia parũ cautè nonnulli confundũt. Principium foſſæ illius, quam ab Auerno per litus maris Oſtiam vſque effodere tentauit Nero crederem potiùs; præſertim cùm nullũ aliud toto hoc in tractu inſanæ illius temeritatis cernatur veſtigium. Illam tamen lacus nomine incolæ cohoneſtarunt, eo quia cum Linterni lacu aliquando communicarit. Sat itaque Cumis datum erit, ſi fortiſſimę, pariterque fortunatiſſimæ quondam vrbis oram, ac ſitum, vultu demiſſo in rerũ viciſſitudines intenti ab oculis ſubducamus, & Baianum litus, quà mari, quà terra colluſtrare feſti-

nemus. Ad noui montis radices, ſtagnantes aquarum receptus viſuntur, quas vt extincti Lucrini reliquias venerantur nonnulli. Nobile hinc Iulij portus fragmentum in mare procurrit; molium ſcilicet, & phari, à fluctuum attritu exeſæ ſubſtructiones. Iam aderis vbi alta ſub rupe incuruatur mare, & vbi Puteolani tractus eſt limes, Baiarũ inde ſubſequente ora, qua olim toto in orbe nulla amœnior, frequentior nulla. Hic namq; Romanorum florente fortuna, claſſicum cecinere deliciæ. Felix qui Baias vidiſſet, felicior qui illas perambulaſſet, feliciſſimus qui hortulum, villulam, ne dicã tuguriolũ in ijs poſſediſſet. Quidquid pretioſi, quidquid oblectãtis, quidquid olentis remotiſſimæ tranſmittebant prouinciæ, ſolis condecorandis Baijs deſtinabatur. Hic bellicis, ac forenſibus ablegatis curis, otio cuncta

im-

impendebantur. Romæ ſeria, hìc ſcurrilia; Romæ labores, hìc laxamenta. Totum per orbem curæ, arma, reipublicæ, ac priuatæ zelus, ac ſtudium; hìc omnibus obliteratis, Cęſares maieſtatem, Senatores grauitatem, Oratores facundiam, milites gladium deponebant. Romæ: omnia Martis, hic Veneris cuncta erant. Tales ſub Tiberio, Caligula, Nerone, Domitiano, cæteriſque laſciuiarum coryphæis extitere Baiæ, in quibus, vt conſona libidine imperitantium oblectamentis reſponderent populi, quas inibi exercerentur improbitates, & flagitia, tu cogita. Vnde non mirum ſi tot fæditatibus onuſta, ad eam nunc miſeriam ſit redacta iucũdiſſima plaga, vt vix per momentum, qui ad illam proſpectandam accedunt, ſubſiſtant. A loci ſqualore itaque, & à ſolitudine, quin & ab aeris grauitate, Venuſini Ho-

ratij monoſticho illo iam antiquato.

Nullus in orbe locus Baijs prælucet amoenis.

quid modò Baianũ litus,ſuſurro lamentabili prætereuntibus animaduertendum proponat audiamus.

Diſce hinc quid poſſit tandem fortuna, viator,
Carmina dum ſortis perleg's iſta mea.
Nullus in orbe locus Baijs præluxit amoenis,
Sed nunc horridior nullus in orbe locus.

Sed amplum, & vaſto fornice obductum antrũ ingrediamur. Quo pacto Ciceronis balneum illud appellitent incolæ, ipſi viderint. Teſtitudinem etiamnũ plaſtices opificijs, & inauratione olim fulgẽtem, ex parte retinet. Illius in pauimento, variè exciſa, & ab vno in aliud diducta lauacra viſuntur, quibus peculiaris ad varios morbos depellendos inerat virtus; quem gratuitum naturę medendi modum ægrè ferentes Salernitani medici, clam aduentantes, & perfractis aquarum cuniculis, ſuſtulere;

re;

re; Sicque ob paucorum auaritiam, à benigna matre tot per ſæcula mortalibus impertitum leuamen diſperijt. Haud tamen hoc, ſanitatis illi tuendæ (vtinã veri aſſertores) patrarunt impunè, ſi, vt Neapolitani ſcriptores affirmant, illos vltrices maris vndæ, dum Salernum repeterẽt abſorbuere. Anilem fabellam me recitaſſe putabis, nec abnuo; crede vt voles, non enim promiſi, ſemper, & vbìque *folium recitare Sibyllæ*. Ciceronis, an publicum, quod magis arridet, fuerit hoc balneum, nullum diſcrimen. Hoc pro comperto mihi eſt; quàm olim affabrè exculptum, & ad ſordes, morboſque depellendos accomodatum, tam fœdum, ac limoſum nunc, nec niſi ranis conueniens apparere domicilium. Quin ſi minùs cautè proceſſeris, ob ſoli lubricitatem, alia qua ingreſſus es veſte coopertus exibis, & ex antro,
 car-

carmen verè Sibyllinũ me protuliſſe, tuo, ſicuti & ego aliquãdo meo, experieris periculo.

Omnia tẽpus habent; hinc tẽpus cuncta reno-
Hac nitida in ſordes fecit abire loca.(luens,
Sordidus huc veniẽs olim quis mũdus abibat,
Nunc mundus veniens, ſordidus inde redit.

Pone oſtium balnei, ſcanſilis eſt via, qua ad ſudatorium, eàdẽ in motis rupe exciſum, aſcenditur. Locum ingrediatur hoſpes, typum haud dubiè officinæ illius inſpecturus, qua in Lemno Vulcanum concludi fabuloſa finxit gentilitas. Poſtquam etenim admotis manibus, & litus, & fundum maris feruere compereris, alia tibi, vſque ad ſudorem, pugna obſcuriſſimo in antro eſt ſubeunda. Vt tamen periculum, ſine periculo facias, natura ipſa prouidit. Ampla in viſceribus rupis apparet vorago, ad quam triplici calle, ſcalpri vi exciſo peruenitur. Denſiſſimus, itemque calidiſſimus vapor cal-

les

les in parte ſuperiori obnubilat, quò euenit, vt recto corpore incedētes protinus ſudorem emittant, reptantes verò nullam alterationem patiantur. Naturaliſſimus hic vaporis effectus, prodigium aliquibus craſſioris mineruæ videtur. Ad crepidinē voraginis auſu temerario deueni non ſemel ego. Murmur ebullienti aquæ ſimile, & voluminoſus vapor effertur, qui vbi ad operculum, ſiue teſtudinem voraginis pertingerit, repercutitur, & cùm exitum nonniſi per calles iam dictos inueniat, inſita humiditate, & calore illos peruadit. Cùm verò ea ſit vaporis, & fumi proprietas, vt ſemper à plano, ſiue pauimento recedant, hinc fit, vt reptantibus impunis, recto corpore gradientibus vſq; ad ſudoris emiſſionem permittatur acceſſus. Vapori conſimilem habent in cerebro craſſitiē illi, qui totum quod linteo abſter-

ſtergunt, ſudorem reputant, & credunt. Non ſudor vndequaque eſt, ſed vapori admixta humiditas: vt ex corporibus ſoli-dis, nec facilè humidum ſugentibus apparet. Importetur huc vitrum, vel euaginetur gladius, & ex ſtillicidio, quod remittũt, vera me dixiſſe deprehẽdes. Quænam verò huiuſmodi ebullitionis ſit cauſa, philoſophi diſcutiant; ſat enim, quo curioſis morem gererem, ad antrum Canis, & in foro Vulcani meum ſubſiſtere feci Mercurium. Alios tamen philoſophantes quotannis hoc in antro expectat Vulcanus: turbam ſcilicet copioſam, languentum, quæ non abſtractas de ente quæſtiones, ſed morbis attracta membra igni reſoluenda proponit. Parum erat digladiantia inter ſe elementa, hoc in litore, veluti in publici terroris theatrum procedere, ni & humanarum miſeriarum cata-

ſtro-

ſtrophem ſuos inter luſus repræſentaret natura. Hìc claudi, hic ſurdi, hìc membris capti, hìc demum lue gallica correpti, aut inter calentes arenas maris ſepulti, aut ignitis in antris incluſi, ſalutem veluti oſtiatim emendicare coguntur.

Sic noſtro æuo, Baiano in litore miſeri ſpatiantur mortales. Talia libidinum pignora apud Baias nobis reliquere Romani. Sic Numina, ſic tempus perſæpe cum mortalibus ludunt. En, vt illuminet locum, ad quem cum Venere colluctaturi impunè cõuolabãt Romani, Veneream vt execrẽtur luctam noſtri temporis adeant amaſij, necnon fœtida ſcorta? Abominabilem luem, inter auri, & argenti myriadas nouus ad nos orbis trãſmiſit, ac ſi non ſatis, infinitis propemodum morbis noſtra diuexaretur Europa, vt ex altero hemiſphærio nouum peſtis genus eſ-

eſſet comportandum. Penſionem tamen tam execrabilē hìc in Regno Neapolitano, dum de eiuſdem poſſeſſione inter Gallos, & Hiſpanos dimicaretur primùm exolui cæptam, ex parte compatiens natura redemit; ſudatorium nempe hoc indicās, ne verum non eſſet, haud procul à veneno antidota reperiri. Vt verò, ignitas ſcrobes ingredientibus aliquod impertiatur ſolamen, Vulcanum in ſuperos, & in impudiciſſimam coniugē carmina euibrantem auſcultaturum propono.

Num ſemper viuam, ſuperis inuiſus, & imis,
Ignita, & claudar claudus in æde faber?
Fulmina quid prodeſt ſūmo fabricaſse tonāti,
Nec ſemel aggreſſis arma paraſſe dijs?
Turpia ſi quondam quæ ſerta retexit Apollo,
Vxoris vitio multiplicata manent?
Si quià deformis, cœlo pepulere parentes,
Cur Venus eſt thalamis conſociata meis?
O vtinam nunquam Oceanus patuiſset Ibero,
Indica nec merces uecta fuiſset aquis:
Non mea me coniux compelleret illa mederi
Vulnera, militibus quæ facit ipſa ſuis.

To-

Totum quod à ſudatorio ad arcem vſq; Baianam nunc rectũ, nunc recuruum excurrit litus, vti voles perluſtra. Scabræ rupes ſunt, & quà ab alto, quà in imo, innumeris refertę parietinis, quę neſcio quid horridæ maieſtatis exhibent intuentibus. Aſſiduo allidentium fluctuum attritu, & mons alicubi exeſus eſt, ædificiorum ſubſtructiones corroſæ, abſorptæ viæ, & plurimi adhuc ab alto ſemidiruti pendent fornices. Montis huius dorſum occupabant Pompeij, Cæſaris, & Domitiani villæ, in tutiſſimas ſerpentum latebras nunc cõuerſæ. Fuerint ne hoc eodem in loco Hortenſij, Sergij, Alexandri Seueri, & Neronis decantatæ villæ, inquirant, ſi qui talium procerum ſunt hæredes. Hoc vnum noſſe ſit ſatis, Imperatorum, Dictatorum, ac Conſularium virorum ſelectiſſimos fuiſſe receſſus, quidquid hoc in tractu,

ctu, aut cymba percurris, aut oculis luſtras, & pedibus premis. Bonarum literarum virum dedecet his in nugis tempus abſumere. Ego ſanè dum hoc ipſum litus non ſemel adirem, nobiliori, ni fallor, indagine, ad mentem, quę ex hiſtorijs patrata in eo didiceram, aduocabam. Hinc Cæſarem cum M. Antonio, ac Pompeio congredientem, & multa de ſubdolè opprimenda Rep. macchinantem obſeruabā. Auguſtum, maria in terrę viſcera impingentem, & ſenio confectū in Miſeno commorantem intuebar. Lucullo, Sergio, Oratæ, Apicio, alijſque talis farinæ hominibus, inter pocula, & comeſſationes aſſidebam. Liuiam, inſidias Marcello tendēntem execrabar. Hortenſium, Murenā, alioſque notæ dignitatis viros ob piſcium amorem inſanientes deridebam. Tiberium animam in Miſeno exalantem diris inſe-

cta-

ctabar. Caligulam in æquora ſæuiĕtem riſu excipiebam. Claudij fatuitate delectabar. In matris euiſcerationem intentũ Neronem exhorreſcebam. Vitellium edulijs tumidum, ac vino madidum aſpernabar. Domitianum muſcas inſequentem vituperabam. Hinc ad lætiora cõuerſus: Delphino, amore pueruli cuiuſdam capto, & illũ Puteolis Baias, & hinc Puteolos quotidie comportanti blandiebar. Plinio. Claſsẽ è Miſeno, quò propiùs Veſeuianum contemplaretur incendium educẽti, nimiæ curioſitatis pœnam indicebam. Ciceronem denique Virgilium, Horatium, & Senecam nunc carmĩna modulantes, nunc ſubtiliſſimas quæſtiones promouentes obſeruabam, mirabar, auſcultabam. Sic omnibus omnia factus, exoletam amœniſſimi litoris felicitatem, ea qua poteram rerum in eo geſtarum recor-

cordatione mihimetipſi repræſentabam: tempori tamen iraſcens, quod hic vbi in compendium redacta fuit orbis magnificentia, & vbi claſſicum, vt dixi, cecinere deliciæ, nullo ipſius lucro, maximo tamen curioſorũ damno, in ſqualorem, ac ſolitudinem cuncta redegerit.

Plurima tepentium aquarum balnea, hìc vel inter arenas maris emergunt, vel è montis meditullio proſiliunt; quæ num in delicijs tãtùm Romanis fuerint, an ſicuti hodie, morbo affectis inſeruierint, affirmare nõ auſim. Nobilis inde ſequitur maris receſſus, nauium ſtationi opportunus, hincq; Baiarum portus indigitatus. Hæc, quæ quondã Baiani litoris portio fuit amœnior, & frequentatior, adeo habitatoribus indiga nunc cernitur, vt vnum, aut alterum homuncionem in ea cernere, prodigij loco reputetur. Syluæ ſiqui-

quidem, & vepres cuncta precpediunt, & occupant. In crepidine litoris ſemidirutum Dianæ viſitur templum, rerum ſanè inuerſo ordine, etenim.

Incola Syluarum populis loca plena colebat,
Dunq;nemus fiunt aufugit inde celer:
Sic quandoq;uices ſubeunt & numina terris
Dum modò tecta tenent, et modò ſede carẽt

Editiori in parte collis, vrbs olim extabat Baiarum. Ruderibus illius arcem ſuperimpoſuit Carolus V. Cæſar. Ob aeris grauitatem, grauioribus delictis puniendis eam reſeruarunt Hiſpani, quam, pauci ex eadem natione cuſtodiunt milites. Sic populus Martis, hìc vbi inter otium, ac delicias emarcuit, ſuas vices ſobrijs, ac inter neceſſitates patientiſſimis Hiſpanis, ſupplendas reliquiſſe viſus eſt. Cùm itaque à Veneris clientela in Martis ſedem ceſſerit locus iſte, hincque Marti ſuccumbere demum coacta ſit Venus; facile eſ-

ſet poetis, tali in peripetia, antiquatos horum numinum amores carminibus proſequi, ni ſat fœditatis florentes ſuſtinuiſſent Baiæ; vt æquè inhumanum foret, antiquam felicitatem, propria inter rudera lugentem orã, importuna carminum modulatione perſtringere. Alter poſt Baianam arcem ſequitur maris receſſus, è quo varia ædificiorũ fragmina emergunt. Hortenſij, & Lucij Murenæ viuaria, in quibus ad inſaniam vſque adamati piſces concludebantur, ea fuere. Eò ſcilicet deuenerat Romanorum ſuperbia, & faſtus, vt parũ, aut nihil feciſſe exiſtimarent, ni poſt redactos in ſeruitutem homines, innocuos quoque piſces libertate ſpoliarent. Verùm, quæ in litore, hominum, eadem & in circumluenti pelago eſt piſcium infrequentia. Nil minus, ſi frigidi elemẽti habitatoribus, æqua cum ſalaciſſimis hominibus,

bus, ob patratas hoc in litore libidines, vaſtitatis pœna fuerit ſubeunda. Crederem tamen à ſubterlatentis arenæ feruore, aut à mineralium cum maris aqua commixtione hinc ablegari piſces. Ipſa ferè in crepidine litoris, & inter feruentes arenas, obrutum, & ſuiſmet ruinis conſepultum proſtat ædificium. Sepulchrum eſt Agrippine iunioris, cui necem hoc in eodem loco, primùm inferre, ex compoſito qua vehebatur laxata naui, tentauit, & tandem intulit filius Nero. Amphitheatralis erat figuræ, & varijs plaſtices opificijs exornatum. Si nimium curioſus, in ſcrobem deſcendere poteris, vt ex ea totius ædificij deprehendas ſtructurã. Qualecumque nunc ſit Agrippinæ ſepulchrum, haud potuit cum illo immaniſſimum Neronis facinus ſepeliri: etſi tali digna claude videri potuerit mater illa,

la, quæ monſtrum à quo euiſcerata fuit, fato totius orbis lamẽtabili, & aſtu, & dolo imperio enixa fuerit. Interim ad mentẽ reuoca Romanæ vrbis per luſũ à Nerone excitatum incẽdium, dijudicaturus poſtea, num & circa Matris, & filij cineres ipſa quoque numina ſint iocata.

Ad Sepulchrum Agrippinæ.

Qui patriam potuit per luſum tradere flãmis,
Serius & matrem mergere fecit aquis.
At cineres, proh quàm varia ſunt ſorte ſepulti,
Hìc mater perſtat, natus in amne fluit.
Numina ſic ludunt: damnãt algẽtibus undis
Aſsuetum flàmmis ludere Roma tuis,
Et gelidis ponti quæ mergi debuit undis,
Feruenti proſtat ſemiſepulta ſolo.

Commiſeratis, ni potiùs execratis Agrippinæ cineribus, litori valedicamus parumper neceſſe eſt, vt ex innumeris, quæ quondam in Baiani iſthmi mediterraneis extabant, pauca, quæ ſuperfuerunt ædificia colluſtremus. Gliſcit animus, vbi primùm edi-

edito à litore in loco conſtiteris, & circumſtantem oram, & incolis, quin & pecudibus vacuã aſpexeris. Non trita ſemita, nõ exculta tellus tibi occurret, ſed vepres vepribus, rudera ruderibus ſuperimpoſita, ferale temporis trophæum proponent. Vbi amphitheatra, vbi circi, vbi thermæ, vbi templorum, ac villarũ veſtigia? Perquire vt voles, cũcta ſic ſolo æquata occurrent, vt commentitia ſis crediturus ea, quæ de Baiarum frequentia, ac delicijs ſcriptores tradidere Romani. Ex ſqualore, & ſolitudine, & ex antiquæ felicitatis recordatione, horrida quædã pietas aduentantes adoritur. Ceſpites, Spineta, & vepres, fortunatiſſimi quondam ſoli ſunt ornamenta; quibus par incolarum reſpondet genus, innumeri ſcilicet ſerpentes. Tales denique ſunt Baiæ, vt ad illas perluſtrandas accedentibus horrorem in-

curioſitatis præmium incutiunt, & abeuntibus, fructuoſam, de rerum viciſſitudine philoſophādi, ſubminiſtrent materiam.

Sed proſequamur iter. Vbi paululum proceſſeris, continuati hinc inde à via occurrent fornices, loculos innumeros, cineribus defunctorum aſſeruandis deſtinatos, obtegentes. Publicum, an priuatum illud fuerit cœmæterium diſcutere non vacat. Quod è re hoſpitis fuerit aperio, ne manum ſcilicet illis admoueat; in ijs ſiquidem latitant quandoq; ſerpētes, quos cū muliebri tantùm calcaneo inſidiari Deus iuſſerit, ſuo rubore, ac damno ad viriles manus tentandas quoq; prouocabit. Hinc per ſpineta, & vepres ad ſubterraneum peruenitur ædificium, ab accolis *Piſcina mirabile* vocitatum. Per gradus vigintiſeptem in illud deſcenditur. Ex illius laxitate, & ſtructura, ædificio-

rum,

rum, quæ in aperto extabāt magnificentiam conijcere poteris. Inſanientem hominem diceres operis auctorem, ni authores extarent, qui M. Agrippam agnoſcerent. Libido eum forſan inceſſit, ſubterraneo hoc ædificio, æqualem illi, quæ ob famoſiſſimum Romanum Pantheon obuenerat, comparari famam. Nō abnuo: vt inde mireris hominē, humili alioquin loco natum, ea tamen animi celſitudine præditum, vt ædificia, quà ſubtus, quà ſupra terram, ad rabiem temporis retundendam excogitarit. Quadraginta, & octo columnis fulciuntur huius ædificij fornices. Latum eſt vlnis 180. longū 340. altum 64. Incruſtationem, duritiem porphyreticam ſuperrantem, obſeruandam propono. Falluntur illi, qui eam vti artificiosè cōglutinatam propugnāt. Eam ſic condenſauit tempus, & aqua hìc aſſeruata: quæ quia ni-

L 2 tro-

troſa, aut bituminoſa erat, varias muro ſuperinduxit pelliculas, vt accuratè fruſtula perpendenti clarum fiet. Aquationi Romanæ claſſis in proximo Miſeno commoranti, inſeruiſſe putant plerique. Cum etenim Auguſtus, vt promptior in Africã, & Siciliam foret claſſium traiectus portum hìc aperiri feciſſet, credibile eſt, tale quoque excogitaſſe ædificium, quo, in regione potabilium aquarum indiga, claſſis aquationi foret conſultum. Ex ſtructura tamẽ, & ex eo quòd binæ hinc inde ſcalæ, quin & lateritij gradus, & ſedilia per gyrum in fundo etiamnum conſpiciantur diſpoſita, balneum aquæ frigida, illudque publicum fuiſſe reor. Hoc ſanè, & nomen Piſcinæ, quod adhuc retinet comprobare videtur. Inſuper, cùm omnia, quæ hoc in tractu erant, tepentium aquarum balnea fuerint, quid ve-

vetat credere, hoc vnum effoſſum fuiſſe, è quo per cuniculos, veluti è promptuario excerpta, in priuatorum balnea, frigida aqua comportaretur? Sed tam de vſu, quàm de auctore ſatis. Opus ſanè magnificum eſt, & quod concluſi lacus, ni maris, typum exhibeat, pluribus nauigijs permeabile, ni columnarũ obices curſum præpedirent. Mihi itaque erga nobiliſſimum artis trophæum, liceat breui hoc præconio perrumpere.

Iam natura potens ſileat, quin cedat & arti,
Si claudi hac terris æquora poſse decet,

Nunc omni ex parte rimoſũ, aquas vltra continere non valet. Ab eo egredienti, celeberrimi portus, ab Auguſto in interiora huius iſthmi inuecti, pars interior obueniet. An quia receſſerit mare, an quia ab eodem immiſſæ paulatim ſordes illum repleuerint, in paludem verſum eſt nobiliſſimum Romanæ po-

tentiæ monumentum. Iure ne poſtea *Mare mortuum* illud appellitent incolæ, cùm potiùs illis afferat mortem, ipſi viderint. In illius crepidine, circi cuiuſdã periphæria ſupereminet, qui cùm à ludorum, in nundinarum celebrationem fuerit aliquando translatus, Mercati ideo nomen obtinuit. Palus inde parum diſtat Acheruſia, ob aquarum cũ Auerno communicationem notiſſima. Verùm, cùm exiles, & fœdas aquas contineat, illorum tantum promeretur obtutus,qui fabulis nimium intenti graueolentiam negligunt, aut non percipiunt. Miſenum itaque verſus regrediamur. A Piſcina mirabili, aliud ſubterraneum ædificiũ non multum abeſt. *Centocamarelle* appellat vulgus;nec iniurià; adeo ſiquidem implicato calle, confuſiſque tramitibus, huc, illucq; extenditur, vt pro veri labyrinthi ichnographia delibanda,

da,

da, non vltra Ægyptus, aut Creta ſit adeunda. Statimac in illud caput demiſeris, tot oſtia, tot calles, totque ſemitæ occurrent, vt curioſitas ipſa trepidet. Implicatiſſimum hoc ædificiū, implicatiſſimum Neronis ingenium agnoſcit auctorem. Sed quo fine? Num, vt illis in decipulis deprehēſos riſu exciperet? minimè; ſed vt infelices pro libito diuexaret. Carceris ſiquidem loco ſubterraneus hic labyrinthus deſtinabatur; hoc vno inter illius horrores miſeris affulgente ſolatio, quòd adhuc viuētes ſepulchralibus paulatim aſſueſcerent tenebris, & aduentantem minùs exhorreſcerent mortem. Talia paſſus eſt orbis à laudatiſſimo quondam magni illius Senecę diſcipulo. In vitā fortunaſque hominum, ſic per ludum ſæuiebat ille, qui aliquādo calamum, literas, & atramētum execratus fuerat, ne dam-

natorum ſententias manu ſua feſtinare crederetur. Hoc pacto ſub immaniſſimo principe genus diuexabatur humanum, vt non ſecus, ac ſi inter delicias cōputarentur, quæ ſub Sole patrabantur carnificinæ, in ſubterraneis demum (ipſis fortaſſe exhorreſcentibus tenebris) noua eſſet excogitanda laniena. Sed auctorem innuiſſe ſit ſatis; quē tamen hac in parte impunitum, haud reliquerunt Numina. Dum etenim ad necem Senatus iuſſu quæreretur, nullus ei ad latendum obuenit locus; ſicque illas latebras ad aliorum interitum paratas, auidiſſimè quo mortē ipſe declinaret appetiJſſe credibile eſt. Meæ itaque muſæ, tale monſtrum, vel è longinquo fas ſit interrogare.

Abdita tot loca cur, hominū ſæuiſſime, condis,
Nunquid Cimmerios huc reuocare cupis?
An mage cum viuas, & regnes more ferarum,
Quò tutò lateas antra parare ſtudes?

De-

Dedecet auratis ſolitum ſplendeſcere tectis,
Hæc vbi ſordeſcat tetra ſubire loca. (fundo?
Sed quorſũ, imprudẽs; monita hæc, & carmina
Non valet indomitam ſiſtere lingua feram.
Nempe coronatũ fugere, atq; horreſcere mõſtrũ,
Iam Seneca exemplo commonet ipſe ſuo.
Carceris haud cures igitur perquirere formam;
Sufficit vt noſcas eſſe Neronis opus.
Quis memoret lætas tetro hoc in carcere clades,
Et varios mortis (nocte iuuante) dolos?
Quæ cũ cæca ruat, falce & per aperta triũphet,
Quid clauſa in tenebris fecerit, ipſe puta.
Nũc quoq; perciperes gemitus, ſed forte Neronis
A miſeris volitans vmbra timetur adhuc.
Qui tamen incaſſũ latebras extruxit, & ãtra,
Vltima ſi fugiens fata latere nequit.
Nempe illi mater tellus ſua viſcera clauſit,
Viſcera qui matris ferro aperire tulit.

Neronianis è latebris egredienti, fauces Miſenatis portus occurrunt. Illas Auguſti iuſſu aperire fecit M. Agrippa. Hic eſt illemet portùs à quo ſenior Plinius, vt errumpentem in flammas Veſeuum cominus aſpiceret, non vltra regreſſurus abſceſſit. Sic, qui abdita naturæ, & elementorum penetralia ad eã diem impunè proſpexerat inter

flammarum poſtea ſplendorem cæcutijt; adeo plerumque oculatiſſimi viri feſtucis declinatis in trabes impingunt.

Celeberrimum Miſeni Promontorium nunc ſequitur, quà mediterranea proſpicit, virentibus, ac vitiferis arboribus conſitum. Tot taleſque in eo effoſſæ ſunt cryptæ, vt penſile meritò dici poſſit: Traconaria, quà altitudine, quà latitudine, quà implicatis tramitibus, inter omnes excellit. Balnea fuiſſe credidi aliquando; cùm verò ad maris ſuperficiem, illarum orificia extendi animaduertiſſem, in eam deueni ſententiam, vt lintrium, ſeu phaſelorum, quibus ad ſpatiandum vtebãtur Romani, fuerint ſtationes, & receptus. Num poſtea illas peruaſerit mare, an vt hodie, in ſicco manſerint, ſicuti an à Nerone exciſæ, affirmare non audeo. Per rimas è parte ſuperiori non vno in lo-

-co ſuauiſſimæ aquæ manant ſtillicidia, quæ forſan morbo alicui propulſando inſeruirēt, ſi liberior in Traconariam foret acceſſus. Miſenum vndequaque occupabat celebris Luculli villa, in quam è Capreis aduectus, non tam annorum pondere, quàm laſciuiarum fœditate oppreſſus, ſalaciſſimus deceſſit Tiberius. Ille inquam Tiberius, qui morum turpitudinem à corporis deformitate non ſeiunxit; cùmque inter tyrannidis ſæuitiam, quà cædibus, quà rapinis labantem Romanorum libertatem confeciſſet, hoc vnum tamen,tot inter gemitus reliquere viſus eſt ſolatium,quòd impunè eius deformitatem riſu exciperent infeliciſſimi populi; vnde non inuenuſtè Andreas Marianus.

Caluus ridetur vetulus, qui impleuerat vrbẽ
Planctibus, (heu triſti vita rotata rota)
Profuit huic quondã iuueni fortuna comata ,
Obfuit extremo tempore calua Venus .

Sed nunc, eadem Miſeno, quę Baijs, ædificiorum, & incolarum vaſtitas, & inopia : cùm tamen, vel Diui Gregorij tempore, Miſenatis Epiſcopi, & Comitis mẽtio habeatur. Par itaque cum Cumis excidium illi accidiſſe crederem, Neapolitanæ poſtmodum ſedi, omnibus, quæ iuris, aut fundi erant Eccleſiaſtiſtici, attributis. Sola in editiori Miſeni parte nũc extat turris, ad piratarum inſidias detegendas inſeruiens. Mos, hìc nedũ; ſed per omnia Neapolitani regni litora inoleuit, vt ea in diſtãtia excitatis turribus, vt vna ſub alterius oculos, (vt ita dicam) veniat, fumi, aut ignis ſigno piratarum demõſtretur aduentus. Quo euenit, vt paruo ſumptu, minimo tempore, maximo tamen

men fructu, conſiſtentes Neapoli, horæ vnius ſpatio, vel ab extremis Calabriç oris certiores de piratarum reddantur inſidijs.

Si te intempeſtiua pietas ſollicitet, occidentalem Baiarum plagam perluſtrare poteris. Verùm cùm ſqualor, & ſolitudo totum illum occupent tractum, non eſt cur repetitis obtutibus voracis temporis nobilitent viatores trophæa. Monti, tamen Prochytam inſulam è regione proſpectanti, Seruilij Vacciæ ſuperimpoſita fuit villa. Hic, vt vrbanos rumores, ac imperitãtium ſæuitiam declinaret, veluti conſepultus, plures per annos in ea latitauit, & Senecæ non ſemel illac tranſeunti materiam in eum iocandi præſtitit, vulgato illo ſcommate. *Hic ſitus eſt Vaccia*. Pone ſcopulum, quem Diui Martini appellitant, abundans fit quotannis Thinorum captura. In oppoſiti montis rupe

pe

pe variæ ſunt natatoriç excîſæ, num ſeruandis olim, vt nunc piſcibus; an ad ſordes depellendas deſtinatæ, nullum negotium.

Prochytam inſulam ad paſſus IV. M. à Baiarum continenti diremptam adeat hoſpes. Non inſulam, ſed medio in pelago inſtructum viridarium illam dicet, vbi ex editiori loco, illius amœnitatem, & culturę elegantiam obſeruauerit. In ambitu ad VI. M. P. extenditur, iucundiſſimis receſſibus, ac promontorijs, nunc in mare protenſa, nunc in ſeipſam recurua. Omnigeni in ea fructus, & qui non à ſapore, aut à magnitudine tãtùm, ſed quòd præcoces ſint, commendati. Vis verbo dicã? Ea eſt Prochytæ facies, vt fabuloſos Elyſios vnicè eludat; & cui hoc tantùm ſiniſtri obuenerit, quòd in Tyrrheno, non in Grçcanico locata ſit mari. Famam tamen, quam ob ſitus amænitatem,

tem, & cæli clementiam, cum Græcanicis inſulis potuiſſet habere communem, ſat ſuperque illi cõtulit Ioannes ille (an Prochytę Dominus, an inquilinus, nullum diſcrimen) Veſpertinæ Gallorum è Sicilia eiectionis ſolertiſſimus auctor. Illam nunc feudali iure poſſident ex Dauala familia, Vaſtij, & Piſcarię Marchiones. Superbiſſimum in ea palatium ædificari præcepit Innicus ex eadem gente S. R. E. Cardinalis.

Altera ad IV. M. P. intercapedine *Aenaria* ſiue *Iſcla* altiſſimis referta iugis attollitur inſula. Innumera tepentium aquarum, quà inter montium cautes, quà in litore continet balnea. Verùm cùm ſcabra vndique ſit, ſicuti eam neglexere Romani, ſic illã hodie tantummodò adeunt, qui ſaluti, non curioſitati ſtudent. Horrido in ſcopulo, haud multùm à continenti ſeiuncto, vrbs

in modum cochleæ circumducta aſſurgit; cuius in vertice, arx à natura potius, quàm ab arte excitata conſpicitur. Aſperitatem loci, ſub Aragonenſibus Regibus aſperiora nobilitauere infortunia. Hìc namque non ſemel, ſpes, fortunæque illorum Regum concluſæ fuere. Ad huius ſcopuli anguſtiam, vniuerſa Ferdinandi Senioris poſteritas, (exemplo ſanè lacrymablli) Regno, opibus, ac amicis ſpoliata, redacta eſt. In arcem Ferdinãdus iunior, regni aduerſus Gallos defenſione deſperata, conuolabat: verùm, ne quid non eſſet, quod labãtem Aragoneorum fortunam ad præcipitium non impelleret, Præfecti perfidiam, illum ab ingreſſu propulſantis, blandis primum verbis, ſtricto deinde pugione retundere coactus eſt infeliciſſimus, ſed regio, ac viuido adhuc animo præditus princeps.

Cum

Cũ Strabone reor ego (quidquid dicat Capaccius) Ænariã, & Prochytam cum Baiano, & Cumano tractu continentes aliquando, vi tamen poſtea terræmotuum, ac incendiorum fuiſſe diremptas. Ab authoritatibus ſuperſedeo, cùm, quæ mari imminenr vſtulatæ rupes, ſeparationis auctorem fateantur ignẽ.

Sed iam Cumani maris adeamus plagam, & quod vſque ad Garilliani fauces excurrit litus perluſtremus. Cumarum itaq; à longè denuo commiſeratis ruderibus, deiecti Linterni frag. mina,hoc eodem pietatis officio cohoneſtemus. Hoc vt præſtes, ne pigeat, (quiſquis fueris hoſpes) è cymba parumper deſcendere. Habes quem ſequaris, magnum nempe Senecam,qui quoties iſtac tranſiret, memoriæ inuictiſſimi Scipionis gratulaturus feſtinabat deſcenſum. Hic namque celebris illius extitit villa,in

quam,

quam, ciuium inuidiam declinaturus, viuens ſeceſſit, in eaque mortuus condi voluit; ingratum patriæ animum breui hac inſcriptione, loco epitaphij, perſtringens.

Ingrata patria neq; habebis oſſa mea.

Hæc igitur litora, veluti deſidioſus obambulauit, & preſſit ille terror Africæ, ille libertatis Italicæ vindex, ille inquam Scipio, qui militari gloria expoliauit Annibalem, & faces bellicas, audaci conſilio, ſed feliciori exitu ab Italia ſubmotas, in illam, eamdem Africam, è qua prorupperant, non vltra in Romanos exarſuras contorſit. Hìc hortulum excoluere, hìc lapillos, & conchas per otium ſelegerunt, hìc glebas ligone attriuerūt manus illæ, quibus idem fuerat pugnare, vincere, & triumphare. Huc, feritatis obliti piratæ, ac prædones, tanquam ad numen inuiſendum accurrentes, veneran-

rando, ſimul, & tremendo Scipionis inſpecto vultu, in illius pedum oſcula procubuere. Hìc ſub oculis ingratæ patriæ militare robur emarcuit. Hìc orbis denique decus, Imperij columē concidit, conſenuit; & magna beneficia, magno compenſari odio, ac inuidia, (vtinam poſtremus) edocuit. Ex eo quòd, Turri, quæ in litore prominet, lapis ſepulchralis Scipionis aliquando affixus fuerit, autumant nonnulli *Patriæ* nomen illi inditum. Forſan ſic erit. Sanè ex Plinij teſtimonio habemus, Scipionis ſepulchrum prope fontē aquæ acidulæ conſtitiſſe, & etiānum fragmina quædam teſtantur. Verùm, cuncta ſtagnantes aquæ, nemora, & vepres occupant, vnde vix à lacrymis meam valui prohibere muſam, quæ tamen, vt vt potuit, inuictiſſimi Scipionis memoriam tali proſequuta eſt carmine.

Li-

Litora quæ calcas centenis clara triumphis
Reddidit huc veniens pulſus ab vrbe decor.
Primus ab Auſonijs Pœnos qui fuderat oris
Miſſus in exilium non rediturus adeſt.
Annibal huc venias, venias Carthago ſuperba,
Hoſtis vt hic cineres intueare tui. (dora,
Hoc nemus, hos fontes, hoc fractum marmor a-
Sub quo Scipiadū gloria tecta manet. (dus,
Gallus, Iberus, Arabs, Afer properauit, & In-
Magnanimo vt cineri debita thura daret.
Quin ſyluas prædo & pelagus pirata reliquit,
Splendida quò tanti cerneret ora viri.
At periere ſimul cineres, & marmora culta,
Vrbis & ingratæ vix monumenta manent.
Vepribus, ah, ſpiſſis eſt illius vrna reuincta,
Per quem Roma, tuo eſt depta catena pedi.
Talia vix poterant tibi, Scipio, fata manere,
Barbara te tectum ſi tenuiſſet humus.
Non igitur iactes rigidos genuiſſe Catones,
Per quos iuſtitiæ laus tibi, Roma, fuit.
Nam quāuis ſileat nunc Scipio tectus ab vrna,
Te tamen ingratam marmora muta uocāt.

Poſt Linternum, fauces ſubſequuntur Vulturni, quibus ſuperatis, campus occurret Falernus, vini ob preſtantiam toto orbe notiſſimus. Á faucibus Vulturni Sinueſſam vſq;, & hinc ad Maſſici radices procurrebat ager iſte.

Ve-

Verùm, quia non ſemel cum Stellate,& Campano agro illum confundunt ſcriptores, pro exacta illius topographia meũ hoſpitem ad accuratiſſimum Peregrinum remitto. Cum verò, & Plinij ætate exoleſcere cæperit ſuauiſſima potio, eo quòd, vt ipſe ſcribit, *copiæ magis, quàm bonitati accolæ ſtuderent*, non eſt cur tantoperè noſtri æui bibaces querantur. Si tamen hoc in genere mihi aliqua fides, tot tantiſque nobiliſſimis potionibus noſtra abundat Italia,vt pro vno exoleto falerno, ſexcenta ſint ſuffecta. Deguſtaui non ſemel, & ego,vina illa, quę nunc falernus ager producit; compotaui Cæcuba, Caluenſia,Setina,Amiclana, & alia quamplurima, Martiali, & Horatio ſatis probata, ſed vt verum fatear, vel vices temporis ipſa quoque terra ſubijt, vel litandi Baccho alius ritus, ni palatum antiquis fuit. Et qui-

quidem de falerno (ſi ipſiſmet, qui illud ebibebant credimus) nonne inſuauis noſtris temporibus eſſet illius vſus? Præſtantius habebatur, quod ſeculari cuſtodia ſeruatum, generoſitatis eòuſque deueniſſet, vt coagulatione inducta, colore inſuper (ni & ſoliditate) Succinum, ſiue vt vulgus vocat, *Ambram* imitaretur. Quod cum ita ſit, non potabatur, ſed mādebatur falernū. Tale potionis genus num nobis arrideat, boni rerum æſtimatores dijudicent. Eſt alterum, quod me hac in re angit; agri ſcilicet Falerni in alendis vitibus mira conuerſio. Sanè, ſi vitiferos Hetruriæ, & Albæ colles agro huic æquiparauit Halicarnaſſeus, cur illi etiamnum ſuauiſſima vina, hic verò craſſa, & fumoſa reddit? Haud ignoro ex vitibus Aminæis, huc è Græcia comportatis prognatum falernum. Vnde tamen accidit, vt ſelectiſſimi pal-

palmites è Græcia, & Creta nuper aduecti, & hoc in eodem agro ſumma diligentia conſiti. & exculti, degeneres poſtmodum comperiantur? Ad terræ ſucceſſus confugiunt nonnulli, quibus euenire potuit, vt excitato in ſubterraneis ſulphure, ſuperficies poſtmodum agri à primæua præſtantia & ipſa receſſerit. Crederem itaque Apicios illos Romanos, antiquitatem in falerno eſſe veneratos, non saporē. Et ne quis credat, in poculentis, & eſculentis ſupra nos excelluiſſe Romanos, ad mentem reuoco decantatam illam ex melle, & aqua potionem, & illud ex liquatis piſcium extis, vt ſic loquar glutinum, quod noſtri æui plebecula vix dignatur olfacere, aut ori admouere. Sed forſan plus ęquo popinis datum, cùm feſtinantem Mercurium dedeceat tam rigidè in Bacchi iura, & commilitones inquirere. Extrema

ma in parte Maſſici, & quà leni cliuo in mare deſinit, extabat Sinueſſa, cuius rudera adhuc ſuperſtant. A quonam, vel quo tempore euerſa, & diſiecta fuerit, ignoratur. Arcem, ſiue Caſtrum, vulgò Rocca di Mondragone, ſuperinduxerunt, vt par eſt credere, Longobardi. Celeberrimum Sinueſſæ aliquãdo, ob Marcellini Romani Põtificis in idololatriam lapsũ, habitum fuit Concilium; cui & ipſe Marcellinus, facti pœnitens interfuit, nemine interim audẽte condemnationis in eum proferre ſententiam, cùm ea fuerit conſona inter Patres vox, primam ſedem à nemine iudicari debere. Arcem *Mondragonis*, vt vocant, obſidebat aliquãdo Ferdinandus Senior Aragoneus; iamque eò res perducta erat, vt ob aquæ inopiam, deditionem meditarentur obſeſſi; cùm ad veneficia, neſcio quis eorum accur-

currens, illicò cælum obnubilari ſic cœpit, vt turbine primũ excitato, fulmina deinde, tonitrua, grando, & impetuoſiſſima pluuia ſint ſubſequuta; quæ omnia, potiundæ arcis ſpem, Regi, & vniuerſo exercitui ademere. Mons hinc Maſſicus ſeptentrionem verſus excurrere incipit. Super illius iuga Fabius Maximus pertinaci ſtatione caſtrametatus, Annibalem à Latij ingreſſu diù prohibuit. Verùm ſolertiſſimus Pœnus, Romani Ducis cunctationem, aſtu ad eã diem inexcogitato, perfregit. Ignitis ſiquidem ad bouum cornua facibus alligatis, illos per montis abrupta, quæ Caluenſi vrbi imminent, vniuerſo ſubſequente, ac impellente exercitu, per horam noctis intempeſtam, fecit conſcendere. Sicque, dum Romani, veluti ad nocturnum ſpectaculum eſſent intenti, ſtolidiſſimorum animantium bene-
 ficio.

ficio, oculatiſſimi alioquin Ducis perſpicacia, vel inter facium ſplendores à monoculo Annibale obtenebrata eſt,

Ad Maſſici radices, eo in loco, qui dicitur *Torre de' Bagni*, Sinueſſanæ, Plinio, ac Tacito probatiſſimæ, ſcaturiunt aquæ. Eas aliquando Claudius Cæſar, quò podagræ mederetur adiuit; opportuniùs tamen cerebro cõſulturus, ſi vt cæteris morbis, ſic & fatuitati remediũ tot inter aquas appoſuiſſet natura. Maſſico ſuperato, ſinus ſe ſe offert Caietanus, inter amœniſſimos, & ipſe adnumeratus. Auſonij maris, (à quo Italia nomen Auſoniæ aliquando obtinuit,) hæc fuit celeberrima plaga. Per maris litus, vt iam dixi, via procurrebat Appia. In planicie à Lyri, & Maſſico intercepta, Saracenorum exercitus, tempore Ioannis X. Romani Pontificis fuit pene deletus. Sylua, Maricæ Nymphæ

phæ ſacra, hoc eodem fuit in- tractu, ſicuti & Ciuitas Ferentalis, cuius etiamnum nonnulla extant veſtigia. Iam ad fauces Lyris, ſiue Garilliani, noſtræ Campaniæ ingredientibus initiũ, egredientibus limes, peruentũ eſt. Eas, dum Galli, & Hiſpani pertinaci illa ad Lyris ripas ſtatione conſiſterent, proprio ſubmerſus naufragio nobilitauit Petrus Mediceus, magni illius Laurentij, Italicæ libertatis, & pacis moderatoris, filius. Tanti viri caſum ne pigeat, hac vel vna animaduerſione, inter ludentis fortunæ vices adnumerare.

Ad Petrum Mediceum.

Si pelagum Petrus domuit, Laurentius ignes
Vicit, & ad ſuperos lætus vterque volat;
Nomine cùm referas primũ, genitore ſecundũ,
Cur te ſub gelidis obruit æquor aquis?

Hoſpitem hucuſque comitando, exacto geographorum inſtituto morem geſſi; nunc ipſorũ

pace aliquid vrbanitati eſt impendendum : litoralem videlicet antiqui Latij plagam, Tarracinam vſque, per modum appendicis ſubnectendo.

Minturnenſis itaque vrbis rudera ſunt, quæ vltra Lyrim cõſiſtunt. Priſcam illius magnificentiã, Amphitheatrales parietinæ, & lateritij aquæductus, qui adhuc extant, fornices, teſtãtur.

Re florente Romana famam auſpicati fuerunt Minturnenſes, quòd latitantem aliquãdo apud ipſos Caium Marium (illum ſcilicet belli fulgorem,) & patriæ, & orbi ſeruarunt incolumem. A Lucio namque Sulla quæſitus ad necem, conuolauit Minturnas, vbi inter ſpem, & metum plures per dies in antro detentus, præualente tandem metu, vel vt Sullæ gratificarentur, exagitatum à fortuna virũ interficere cogitabant Minturnenſes. Sed non eòuſque res

Ma-

Marij deuenerant, vt vel inter illas latebras, benigno eum fortuna non dignaretur obtutu. Viliſſimum ad cędem patrandam, immittunt mancipium, cui appropinquanti, horriſona voce, hæc verba in aures coniecit. *Tune Caium Marium ſexies Conſulem interficere audebis?* Verba comitatus eſt igneus quidam ab oculis fulgor, adeout ſceleſtus ille tremebundus receſſerit, & quæ illi obueniſſent Minturnenſibus renunciarit; qui religione quadam, ac pietate perciti, data Mario abeundi quò vellet optione, liberum ei in Africam permiſeſerunt traiectum. Sic non ab alio, quàm à ſe ipſo ſeruari debuit ille Marius, qui ſolus itidē toties Italiam à barbarorum ſeruarat incurſu. Sic vni Mario, æquè de hoſtibus in aperto, ac in terræ viſceribus de ſe ipſo ſola fama, & oris maieſtas nobilē triumphandi ſubminiſtrare po-

tuerunt materiam. Sed de Minturnis, & de Mario ſatis. Longus poſt illas, ad VIII. M.P. procurrens Appiæ ſe ſe offert trames. Romanorum potentiam, vt vt à magnitudine imperij, aut ab ædificiorum laxitate conijcere poſſis, ad aſpectum, crede mihi, vnius Appiæ, non potentiæ, ſed, fas ſit dicere, omnipotẽtiæ tibi argumentum obueniet. Quot montes euiſcerati, quot hominum, & iumentorum myriades pro vna ſternenda Appia, defatigatæ, conſumptæ? Vt verò, nec à plauſtrorum, nec à iumentorum, hominumque attritu, vicena poſt ſecula, conſumptos, aut loco motos ſilices obſeruabis, nobile ad rabiem tempori retundendam conijcies excogitatum ab arte trophæum; præcipuè, cùm ea ſit Appiæ compago & ſtructura, vt abſque calce in ſolum impacta ſint ſaxa. Pręgrauans illorum pondus, & quòdè

par-

parte inferiori in modum pyramidis tenuentur, talem ei contulit firmitatem.

Tramite iamdicto emenſo, ſinus adeſt Formianus, cuius in litore antiquæ Formiæ conſtiterunt, quibus poſtea Vicus *Mola* nuncupatus, eſt ſuperinductus. Immenſa aquarum copia, & riui propemodum infiniti ab imminenti Cæcubo defluunt, quibus totus hic tractus fit irriguus, & plagæ Formianæ non inutilis decor accedit. Innumera ſunt, quæ hinc inde, tum lapidum, tũ ædificiorum ſparſa, aut ſemideiecta cernuntur fragmina; vt certò ex ijs appareat, decantatæ Formiarũ amœnitati, hominũ, ac villarum numerum reſpondiſſe. Celeberrimam hic habuit villam Cicero, ad quam, ſi perueniſſet, eadem fortaſſe illi apud Formias, quæ conciui ſuo Mario, vt dictum eſt, apud Minturnas, hoſtile nempe ferrum

eua-

euadendi, ſors obtigiſſet: ſed A-ſturæ, vt volunt plerique, ab ingratiſſimo Popilio præuentus, hanc iucundiſſimam, & ferè ſẽper vernantem oram, à luctuoſa nefandiſſimæ cedis recordatione exemit. Hinc ad IV.M.P. leni ſuperimpoſitá colli, ſuo cũ ſuburbio, iucundiſſimum exhibet Caieta proſpectũ. Ab Æneæ nutrice tale mutuatam nomen autumant, ni veriùs fabulantur pleriq; Arx operis antiqui, & in qua non ſemel Neapolitanorũ Regum ſpes, fortunæque concluſæ fuere illi adiacet: Caroli Borbonij, ob illatam Romanæ vrbi ſub Clemente VII. vaſtationem notiſſimi Ducis, integrum, etiamnum in ea cuſtoditur cadauer. Scabra deinde rupes mari imminens, horrido, ab imo ad ſummũ, hiatu diſciſſa ſubſequitur. Vti monumentum, ac ſignũ doloris, ob Chriſtum in crucem ſublatum, quando nempe petræ

ſciſ-

ſciſſæ ſunt, illam agnoſcunt incolæ,& tormentorum exploſione, à longè reuerentur adnauigantes. Dignus eſt, qui adeatur locu, etenim, præter pium,quē intuentibus incutit horrorem, philoſophandi, ſimul, & meditandi non vnum ſuggerit argumentum.

Sed iterum contendamus ad Appiam,quæ etſi vbique varijs hinc īde eſſet referta ſepulchris, ex quorum frequenti occurſu, & elegantia,prætereuntium oblectarentur oculi, & ex epitaphiorum lectione, mens, animuſque recrearentur,nullibi tamen, aut frequentiora, aut operoſiora,quàm in Formiano hoc tractu ſuſtinuiſſe,innumeræ,quæ adhuc ſuperſunt parietinæ euincunt. Profunda in valle conſepultum,fas ſit dicere, ſubſequitur oppidum,ab Appia, & ipſum hinc inde diſcretum. Itrum illud appellitant geographi, & cum

cum inter antiquos magnū de eo obſeruarim ſilentium, noui nominis, quin & ædificationis re-or eſſe oppidum, ab Hippolito Card: Mediceo, è viuis dum Roma Neapolim proficiſceretur ſublato, nobilitatum. Arduus hinc per Appiam aſcenſus arripitur, qui & quandoque in diſcrimen viatores adducit. Aſſiduo ſiquidem prætereuntium attritu, ſic expoliti ſunt lapides, vt vix vbi tutò pedem ſiſtas, cōcedatur. Ex altera collis parte, vbi ad ima procurrere incipit Appia, eadem, ni difficilior lucta eſt ſubeunda: de deſcenſus facilitate vulgato dicto nil ſuffragante. Inter concaua vallis, rudera, quædam apparent. Mamurrorū Vrbem hic conſtitiſſe contendunt pleriq;. Sed loci infelicitate attenta, æquè fundatorū iudicium, ac exactam ſcriptorū curã in tempus euerſionis adſtruendum derideo. Mox ſub oculis

ade-

aderunt Fundi,ob aeris grauitatem,ferè ad nihilum redacti Hìc excubiarum, ſiue Gabellariorũ pertimeſcendus eſt rigor. Meminerit hoſpes, quæ ad ingreſſum vrbis Neapolitanæ præmonui. Alius Appiæ trames poſt Fũdos Tarracinã verſus ad V. M.P. excurrit,quo emenſo, Regni Neapolitani fines tenebis. Eo in loco Amiclarum vrbem fuiſſe nõ vnum euincit teſtimonium. Sanè ſi cæterarum vrbium noſcere primordia iuuat, huius certè interitum,& ruinam ſcire delectabit; cùm vel ob hoc vnum infelices Amyclæ poſteris innotuerint. Bellũ aliquando cum finitimis populis gerebant Amyclenſes,& quia non ſemel de hoſtium aduentu falſa referebãtur nuncia, publico edicto vetitum, ne quis,mortis ſub pœna, impoſterum aduentare hoſtes renunciaret. Quod adeo fideliter, ſanctèq; obſeruatum, vt patriæ potius

tiùs excidium, quàm indictum violare ſilentiũ ꝑtulerint.

Ad proximum maris litus, ſi doctè curioſus es, deflectere poteris: ſpelũcas illas obſeruaturus à quarũ ruina parũ abfuit quin aliquãdo obrueretur Tiberius, ni Seianus, ruentes ab alto lapides in ꝓpriũ caput excepiſſet: ignarus, quale mõſtrũ eo in antro in propriam perniciẽ reſeruaret ad vitam. Hæc tuæ, ac meæ ſit pro nunc peregrinationis meta, amice hoſpes. Hinc me, licet inuitũ, patiare à te diuelli. Quis ſcit an opportuniùs ad reliquum, quod eſt Italici itineris perficiendum, meus excitetur Mercurius? Faciã vbi primum nouerim Cãpanum hunc Mercuriũ, eo affectu in peregrinationis comitẽ à te adſciſci, quo vt tuæ curioſitati ſatisfacerẽ, quantum licuit fidũ, & amœnum dedi.

FINIS.

BIBLIOTECA ... ROMA

10

Digitized by Google